



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX


Lib. XX. Religio defensa, illustrata, & propagata per Societatem Jesu in
Japomia, ab anno MDXCI. ad MDCXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)

LIBER XX.
PARTIS V.
HISTORIÆ SOCIETATIS
IESU.

Argumentum & Synopsis Libri XX.

Religio per SOCIETATEM IESU defensa, illustrata, &
propagata in Japonia, ab anno Christi
MDXCI. AD ANNUM MDCXVI.

I.  REVIS imago Japonia. Ejus primi cultores è Societate Jesu. II. Taicosama Japonia Imperator Religionem & Societatem vexat. III. Ad eum placandum P. Alexander Valignanus ab India Prorege legatus mittitur, cum Japonis quatuor Principibus ex Europa reversis. Navata per Socios opera in bello Coreano. Hujus belli consilium, exitus, fructus. IV. Sacerdotes quinque Societatis veneno extincti. V. P. Petrus Martinez Japonia Episcopus. VI. Imperator pristinis de Christiana religione suspicionibus renovatis offeratur, & secundam Religionis ac Societatis in Japonia persecutionem movet. VIII. Franciscanos legem Christi promulgantes, in crucem tolli jubet, cum tribus Japonibus religiosi è Societate IESU Paulo Miki, Ioanne de Goto, & Iacobo Kisai. VIII. P. Ludovicus Cerqueira, Japonia Episcopus Patri Petro Martinez succedit. Mortuo Taicosama religionem Societas magnis incrementis auget. IX. Daifusama, occupato Japonia Imperio, Christianis primò favet. Eo postea dissimulante quidam reguli sæviunt. Illustrium aliquot virorum, imo seminarum ac puerorum, cades & Christiana fortitudo. Sociorum in iis adjuvandis ac tutanda passim pietate indefessus labor X. Cui P. Alexander Valignanus feliciter immoritur. XI. Nec non P. Organtinus Soldus. XII. Tertia & gravior Japonensis Ecclesia ac Societatis persecutio. Ejus occasio. Initium facit Imperator à Principibus quibusdam viris & feminis. Hoc elato quasi signo apertum Christi cultoribus bellum indicunt varii dynastæ: in primis Arima Rex, qui gratiam Imperatoris mercatur sui patris ac fratrum nece. Varia suppliciorum genera perdendis Christianis excogitantur: accenduntur rogi; templa evertuntur. Exulum conditio miserabilis. Sodalitas martyrum. XIII. P. Didacus Valens successor P. Ludovico Cerqueira mortuo designatus. Socii domiciliis puls, abditi latebris, arumnis confecti. XIV. P. Iacobus Mesquita exulare jussus, in deserto littore moritur. Alii Patres exilio damnati pars Macaum, pars in Philippinas demigrant. Pii gregis post ejectos pastores dira vexatio. XV. Mors Daifusamæ.

S. I.
JAPONIÆ BREVIS
IMAGO.

* Vide Lib. IX.
Part. I. n. 179.
& Turbellinum
in vita S. Franc.
Xaverii Lib. IV.
c. 1.



JAPONIÆ nomen tribuitur plurimis insulis ad Orientem Imperii Sini positis, à quo separantur angusto freto *. Japonum Imperatores olim communi nomine Dairi vocabantur. Eorum unus ante septingentos ferè annos, otio voluptatibusque diffuens, Imperio spoliatus est a primario regni administro, cui nomen Cubo; Dairi tamen titulum inane & speciosam Imperii larvam retinuit; annuente Cubo; qui nomini addidit voculam *Sama*. Hæc dominum significat. Idem bellum grave ac diuturnum gessit cum Imperii proceribus; at partim ab eo fuere domiti, partim regium suis in provinciis nomen occuparunt, Imperatori tamen obnoxium & vectigale. Huic enim & jubenti obsequuntur, & operam navant gratuitam gerendo, cum illos ad arma vocat, bello. Itaque maximos exercitus confare momento potest, idque nullo suo sumptu. Ut summum Imperatori jus in regulos, ac dynastas, ita regulorum est in subditos, parentum in liberos, dominorum in servos. Itaque nullus caudicis & litibus molestis locus; ac ne licitoribus quidem, & similibus fori administris. Graviore controversias populus sumptis arbitris; nobilitas armis dirimit. Si quem neci addixere, supplicium de reo ferè non sumitur palam, nisi forte quidpiam flagitii majoris admissum fuerit: certis hominibus immisis nec opinantem velut oborta temerè rixa mañant. Quam publicas lites fugiunt, tam privatas & domesticas averfantur. Omnia urbanitatem, modestiam & comitatem spirant. Prætextatos sermones juvenilis etiam licentia horret. Impiam in Superos vocem nusquam audias, aut fracti & impotentis animi querelas in rebus vel perditissimis; nusquam jurgantium clamores & convicia. Commercium ipsum fraude vacat ac mendacio. Æquitate, constantia, & quadam excelitate mentis adversa omnia tolerantis maximè gloriatur. Hic animorum status. Corpora ut plurimum robusta & procerà: barbam promittunt; radunt comam rustici dimidiam; cives, præsertim nobiles, totam; servata duntaxat exigua parte capillorum in vertice, quam ab occipite in humeros, instar oblongæ taniæ, rejiciunt. Dentes atros in præcipua venustatis parte ponunt. Aquam adhibent ad potum, etiam ætate, quam possunt calidissimam. Medicamentis utuntur crudis, acris, & multo sale conditis: sanguinem nunquam mittunt.

I.
Religio Japo-
num & numi-
na.

Quod spectat ad Japonum religionem, Deos triplicis generis colebant, cum eos primum S. Xaverius adiit. Primo Diabolum, cujus infestam vim cum avertere non possent, mitigare saltem sacrificiis & precibus conabantur: deinde majora quædam numina (Fotoquos vulgo vocant) a quibus bona, quæ mortuos beare possint, postulant: in iis locum principem Xaca & Amida obtinent. Postremo numina quædam minoris ordinis & gradus, à quibus bona hujus vitæ, valetudinem, opes, & alia id genus flagitant. Camos appellare solent.

Religionis apud Japones administri sacerdotesque, Bonzii nominantur; hominum genus turpe, libidinosum, avarum: magno tamen apud omnes in honore, quia soli putantur callere artem placandi Numinis: deinde quia horrenda flagitia commendatione ac specie pietatis obtegunt: demum, quia ex iis nonnulli regia stirpe, plerique claris orti sunt parentibus, qui è multis vulgo liberis aliquos huic instituto destinant: omnes vero circumstant opibus, è quaestiva pietate collectis, ac præsertim è testamentis morientium, quibus obsignatas chirographo suo schedas tradunt, ad recipiendam apud mensarios alterius, ut aiunt, orbis, pecuniam, quantam apud Bonzios in hoc orbe veluti deposuerint. Bonziorum alii degunt in pagis oppidisque, parochorum instar; alii sequuntur militiam, quo ex genere potissimum Negores Bonzii sunt; eorumque tanta est multitudo, ut ad unius majoris campanæ sonum, conscribere triginta milium possint millia. Eodem fermè utuntur vestitu, quo nostri in Europa monachi, & eremi cultores. Sive illud hauserint è Christiana, quæ vigerit olim apud ipsos, religione: sive speciem adumbratæ pietatis in profanos mores inducere simius Divinitatis dæmon studuerit. Quintodecimo quoque die populum alloquuntur è superiore loco: argumentum dicendi è libro petunt, quem præ se apertum habent,

bent, ac tanquam nostra Biblia, venerantur. Sectarum & superstitionum incredibilis quadam varietas, quam disquirere tanti non est.

Japoniæ campum erroribus vitiosisque silvescentem excoluit primus à Societate S. Franciscus Xaverius; illuc delatus anno MDXLIX. cum P. Cosmo Turriano, & Fratre Joanne Fernandio. Japoniæ tunc Imperium obtinebat, seque christianis præbebat æquissimum Quonquenindonus*. Illum cum universa ferè stirpe Mioxindonus, summus rei bellicæ præfectus, interemit. Manus impias effugit unus è regis fratribus, Cavadonus; ac fratrum in solium fuit postea restitutus, adnitente potissimum regulo Voari Canzufandono, qui deinde Nobunanga dictus est; quique Cavadonum, accepti beneficii male memorem, exiit regno, & Imperium Japoniæ invasit. Nec tamen illud tenuit diu, ab uno è suis ducibus trucidatus. Conspirarunt ad ejus necem vindicandam proceres, quos inter Faxiba, ceteris bellica virtute clarior, publicam rem administrandam, victis perduellibus, suscepit*, & donec adolefceret Nobunangæ nepos, cui deberi fatebatur Imperium, & a se redditum iri promittebat. Promissis non stetit: & summa potestate palam occupata, nomen Cambacundoni, ac demum Taicosamæ, sumpsit. Vir strenuus, & ad audendum quidlibet promptus; ex infimo loco ad summos honores militiæ provectus; eoque cupidior firmandæ dominationis, quò ad eam nequiore via grassatus erat*. Ac primo quidem visus est favere palam Christianis, quorum fidelitatem erga Nobunangam, sanctimoniam in vita, & virtutem in bello, perspexerat. Itaque præter cetera beneficia quibus catholicam religionem, & Patres Societatis Jesu cumulavit, amplissimam iisdem fecit potestatem practicandæ legis divinæ, tanto populi & nobilitatis ad eam amplectendam studio, ut anno MDLXXXVII. occupati à Taicosama Imperii quinto, facile ducenta Christianorum Japonum millia conferentur, aedesque sacræ ad ducentas publicè frequentarentur.

ANIMUM tyranni ab amore ad odium repente traduxit virginum Christianarum, in tutando adversus insanam ejus libidinem pudore, constantia*: deinde injectus ambitioso Principi, & nondum confirmatis rebus semper diffidenti, metus de regibus Europæ, quorum satellites & administri, sacerdotes Europæi dicebantur: denique Christiana res, & religio peregrina, numero viribusque indies augetens. Hunc metum accendit ethnicorum aliquot livor, & obretractio: ac præsertim Jacuini, sive Tocuni, quo medico, seu lenone potius impurissimo, utebatur. His facibus ita exarsit ut Evangelii præcones excedere Japonia jussit: eaque prima & quasi publica persecutio Religionis & Societatis in Japonia dici potest. Hanc indicti causam exilii attulit, quod licet ipsos esse viros probos, ac legem Christianam pietati admodum consentaneam fateretur; contrariam tamen præcis Japoniæ religionibus esse intelligeret. Quid quod, jam tum habebat in animo, idque testamento cavet, ut sua inter Japoniæ Deos statua, populis adoranda poneretur; in quo non dubitabat quin dissentientes habiturus esset Christianos. Usque eo processit barbari furor, ut illorum conspirationem aliquam pertimescens, aut simulans, arces præcipuas regnorum, in quibus major Christianorum numerus erat, everterit, quasi veritus ne illis occupatis in exitum patriæ uterentur.

Convenerunt interim Firandum Patres, ut ab eo jussi erant, velut in exilium indictum profecturi: statuerunt nihilominus templis, & collegiis derelictis, nequaquam excedere Japonia, sed captatis latebris, pristina munia exercere*: pauci onerariæ navi, quæ solvebat in Indiam, sunt impositi, ne contemptus Imperator videretur. Id ille non nescivit: sed partim metu ne Japoniam Lusitanorum commercio spoliaret; partim etiam perspecta moderatione nostrorum, qui publico sapienter abstinebant, seque pro exulibus gerebant, connivebat. Verebatur etiam ne quid oriretur tumultus ac periculi à Christianis proceribus, copiarum suarum ductoribus præcipuis, neve cum illis ad perturbandum Imperii statum conspirarent dynastæ complures, ob ereptas cum fortunis avitas possessiones alienati à Principe, & in occasionem rebellionis imminentes. Hoc potissimum terrore inhibitus, conceptum in Christi cultores odium premebat. Quin etiam

D d d d 2 regu-

2.
Primi Japoniæ cultores è Societate JESU.

*Hist. Soc. P. III. lib. 1. num. 148. & Lib. V. 277.

*Part. V. lib. II. n. 214.

*Vide Bollandum mense Febr. ad diem V. pag. 724. 725.

S. II.

TAICOSAMA
RELIGIONEM ET
SOCIETATEM VE-
XAT.

*Par. V. Histor. Soc. Lib. VII. n. 206. 230. &c.

*Hist. Soc. Part. V. lib. VIII. n. 202.

regulos, a quibus receptari Patres & foveri non ignorabat, magnis affectu-
neribus. Augustinum Tzucamindonum creavit Prorege[m] novem in Ximo regno-
rum: Simonem Conderam Bugensi regno fere integro auxit.

Creditum est placari penitus posse ferox & crudele hominis ingenium, si mi-
teretur ad eum splendidior aliqua legatio ab India Prorege. Hanc demandari
placuit P. Alexandro Valignano, Japoniam ex India repetenti cum quatuor Ja-
poniis Principibus, missis ante annos octo Romam ad Summum Pontificem, &
inde in patriam redeuntibus. Profectus cum iis, & magnifico Lusitanorum comi-
tatu, qui se socios illi ad ornandam legationem addiderant, Nangazachium
appulerat XII. Kal. Sextiles anni MDXC. Vetatur ulterius pergere: aditus illi ad
regiam urbem intercluditur. Imperatori certum erat exilii Patribus irrogati le-
gem non rescindere, ut haberet in loco pretextum saviendi: timuit ne, admissio
Valignano, illam abrogasse videretur. Est enim Japonum moribus & consuetu-
dine receptum, ut si quis capitali damnatus iudicio veniat in conspectum Prin-
cipis, continuo liberetur omni noxa, & quam optimo iure in integrum restitui-
tus esse censeatur. Jactabant hostes Christiani nominis, eam maxime de causa le-
gationem hanc a Valignano quaesitam fuisse, ut exilii lege ac poena cum ceteris
Patribus solveretur. Imo fictam penitus & e mentitiam esse contendebant. Im-
perator his auditis arcebat Valignanum Meaco, & legationem admittere cuncta-
batur. Ea cunctatione, qua[m] mensium aliquot fuit, data est opportunitas Patri ma-
xima consolandi Christianum gregem & laudandi, quem in solo Arimeni regno
auctum hoc ipso anno MDXC. amplius septem neophytorum millibus cognovit.
Magna quoque facultas oblata est quatuor Japoniis Principibus ornandae veris
laudibus religionis Christianae inter populares suos, cum avidè audientibus re-
narrarent, qua[m] viderant in Europa, qua[m] didicerant.

3.
Constantinus
Rex Bungii ad
pristinam pieta-
tem revocatus.

Unus ex illis Mancius Itus, patruelis erat Constantini Regis Bungii, cujus
patrem Ecclesia Japonica inter suos heroes olim numerabat. Filius degener, gra-
tiam Imperatoris male captans, non modo Fidem in baptismo susceptam e iura-
verat, sed etiam internecinum bellum ubique Christi cultoribus indicabat. Hunc
ut aspexit Mancius, exprobravit impio scelus, & amicitiam renunciavit. Ora-
tione vera, licet ingrata, vulneratus Constantinus, quem defectionis infandae
poenitentia jam subierat, remedium vulneri quaesivit ab ipso ejus auctore Mancio,
& meliora sancte pollicitus, oravit ut veniam sibi a Valignano exoraret, nullum
piaculi genus detrectare se contestans, vel si profitenda palam in oculis aulæ &
Imperatoris, religio foret. Mancius patruelem amantissimè complexus, deduxit
ad P. Valignanum, qui latitiam severiore vultu regens (norat enim Principis le-
vitatem) promissa Mancio data non magni pendere aliquandiu pra se tulit. Sed
acceptis a Constantino postea non levibus verae poenitentiae documentis, eundem
piorum coetui, summa omnium gratulatione, restituit. Multum quoque profecit
apud alios dynastas, qui Meacum ex omni Japonia concurrebant ad salutandum
ineunte anno MDXCI. Imperatorem. Eorum plurimos ad Christi Fidem adduxit,
ac praecipue Muronis urbis gubernatorem. Reliquos valde Societati ac religioni
devinxit. Illorum sermonibus ac deprecatione victus Taicosama, & certior in-
terim de legationis veritate factus, annuit ut Valignanus, tanquam Prorege Indiae
legatus acciperetur, non item ut Societatis sacerdos, aut legis Christianae prae-
co, de qua ne verbum ullum facere secum auderet severe prohibuit.

Solenni & publicae admissiōi destinatus est dies quintus Nonas Martias anni
MDXCI. Praebant velut primo in agmine munera Imperatori offerenda, splendi-
dis imposita ferculis: sequebantur Japonii quatuor Principes, ex Europa reduces,
unde referebant mores, elegantiam, & concinnitatem popularibus suis invidendam,
Spectantium oculos maxime tenebant illorum vestimenta, auro argentoque illu-
sa, Gregorii XIII. munus. Valignanus legatus patente vehebatur lectica. Seque-
bantur duo ejus à Societate comites, in sellis & ipsi, sed humilioribus, & ali-
quanto minus ornatis: omnes in consueta Societatis veste, sed cui splendorem
ac decus conciliabat plena sanctae majestatis gravitas, & modestia. Post hos
equi-

equitabant culti egregiè Lusitani, vultu ipso martios gentis animos præferentes. Claudebant agmen duo legationis interpretes, ambo è Societate.

ITA progressi per confertam multitudinem, quam agrè lictores submovebant, deducuntur in aulam regiæ amplissimam, cujus laquearia, parietes, & postes, intecti auro: pavementum stratum tapetibus opere Japonico, etiam nostris phrygionibus admirando, textis. In medio solium ingens, annorum multorum & artificum opus. Ibi legatum opperiebatur Imperator, gemmis totus collucens & auro. Implebat aulam caterva regulorum, dynastarum, & Bonziorum. In hunc introductus confessum Valignanus, Imperatorem, ut illic mos, veneratur, & gradibus superatis, quibus è pavimento solium eminebat, propiis accedens, profert ex arcua eleganti Proregis Indiæ Eduardi Menesii litteras, Attalico præcipuè artis & pretii panno involutas. Interpretum unus è Lusitano, quo erant scriptæ, in Japonicum sermonem conversas recitavit: auditæ sunt summo silentio. Laudabat Prorex opes Imperatoris, virtutem bellicam, & res præclare gestas, quibus non recentium modo, sed superiorum etiam Japoniæ Principum gloriam superabat. Hæc omnia præsertim è Patribus Societatis cognita sibi dicebat esse: in quos, & ceteros passim Lusitanos collata sæpius ab Imperatore beneficia prædicabat. Missum a se, qui gratias ipsi ob eam præcipue rem ageret, legatum suum, Patrem Alexandrum Valignanum, cui ut favere pergeret ejusque sodalibus, enixè precabatur. Postremo enumeratis, quæ ipsi offerebat, muneribus, in vota pro ejusdem incolunitate desinebat. Porro ut quodque munus ex epistola nominabatur, illud unus è Lusitanis proceribus exprimebat.

Respondit benignè Imperator. De Lusitanis & Societatis Patribus subjecit pauca; de religione, & Christianis, quos ipsi Prorex in eadem commendabat epistola, siluit. Mox varia proferri jussit munera, quorum partem ferendam Proregi, partem Valignano ejusque comitibus habendam dedit. Cunctos demum, epulis opipare instructis accepit. Sub epulas Valignanum ac Lusitanos familiariter allocutus, Japonios juvenes in suam invitavit familiam, audivitque perlibenter narrantes quæcumque vidissent in Europa. Delectatus est in primis modestiâ, & Japonicæ linguæ facultate singulari, quâ præditus erat primarius legationis interpres. Joannes Rodericius è Societate, nondum sacerdos: Deo jam tum remedium aliquod ac periculum ad gravissimas, qua postea contigerunt, calamitates in hujus religiosi adolescentis apud Imperatorem gratia, providente. Cum illo sermonem Princeps protulit ad multam noctem, id agens variis interrogationibus, ut ex eo, cujus candorem perspexerat, exculperet si quid lateret in legatione fraudis. Respondit Rodericius tanta dexteritate, & comitate, ut mirum in modum ipsi satisfecerit: & ad eum exinde, rebus mutatis, ut dicemus, ac prope perditis, liberum facilemque aditum semper habuerit. Digredientem Imperator benignè compellavit, ac per illum moneri Patres voluit, viderent ne palam Christianas obirent carimonias; neque committerent, ut gravius in eos aliquid stateret: Christianam rem cautè tractandam in Japonia, ubi tam multis, tam potentibus adversariis laboraret. Id quam vere pronunciatum ab illo fuerit, statim intellectum est.

Nefarius ille Tocunus, sive Jacuinus, qui libro VII. hujus Partis V. graphicè descriptus est *, legatos ab Imperatore tanta benevolentia & humanitate acceptos ægerrime ferens, ejus animum, cujus omnes aditus norat, impudentissimis calumniis in pristinas adversus Christianos, & Indicam legationem, suspiciones revolvit. Iter Imperatori necessarium inciderat his ipsis diebus in regnum Voari: occasionem hanc sceleratus nebulo arripuit, & liberiora ejus alloquendi spatia, nactus, cavillari totam legationem cœpit, fabulam dicere compositam Nangazachii, Meaci exhibitam; confictas à Patribus litteras, corrogata nescio quæ munuscula, ut auferrent Imperatoris exquisita dona, utque famam & auctoritatem pestifera quærerent sectæ, præter cujus & Patrum laudes epistola Proregis nihil contineret. His accensus regis barbari, & ad ejusmodi suspiciones hauriendas promptissimi, furor vehementiùs exarsit acceptis Nangazachii gubernatorum litteris, quibus significabant plenum esse Nangazachium exteris hominibus, exploratoribus

§. III.

P. ALEX. VALIGNANUS AD IMPERATOREM LEGATUS EX IXDIA MISSUS.

* Num. 204.

ratoribus nimirum Proregis Indiae, ac militibus. Nihil in urbe tutum esse; nihil in tota Japonia securum. Jam Taicosama minacem & contumeliosam Proregi epistolam parabat: sed ejus iracundiam Patres leniverunt, & Rodericius alias ab eodem accepit litteras paulo humaniores, & ad Eduardum Menesium a P. Valignano perferendas. In iis multa de se ac suis rebus gestis commemorabat; non pauca de Japonum Diis, & fabulosa religione: quaedam de peregrinis sacris, quae omnino vetanda judicasset. Tum de commercio, quod Japonenses inter ac Lusitanos liberum volebat esse. Denique munera, quae Proregi mittebantur, enumerabat. Hanc epistolam, assidue laboratâ cistulâ inclusam P. Rodericio in manus tradens, praecipit semel atque iterum ut moneret Patres, ne quid temere molirentur: non recusare se, quin ex ipsis aliqui palam Nangazachii degerent: sed caverent quidpiam admittere, unde illis irasci jure posset. Enimvero id cavens omni ope Valignano, antequam à Japonia solveret, Imperatoria munera Indiae Proregi delaturus, auctor fuit Protasio, regi Arimae, ut pompam & apparatus, quem accipiendis muneribus, Roma sibi missis, destinaverat, omitteret; quod ille parcius quidem, at magnificè tamen, fecit. Imitati regem Protasium, Omurae & Bungi reges, munera Pontificis Maximi, sine ludorum & spectaculorum invidiosa celebritate, in templis privatim; certis nihilominus, qui plurimum dignitatis & sanctimoniae praese ferebant, ritibus ac caerimoniis, inter dulces Christianae plebis stetus, & plausus, acceperunt.

4. Japonii juvenes quatuor ex Europa reverfi cooptantur in Societatem. Munus nobis Deoque longe gratissimum, & utilissimum religioni, dederunt regii juvenes, Valignani comites in hac Indica legatione, cum seipfos dederunt Societati. Flagitaverant ab Aquaviva, cum essent Romae, ut ipsos in Societatem cooptaret. Hoc unum petierant tot laborum, & itineris tam longi ac periculosi, vel solatium, vel praemium. Claudius rem totam Valignani permiserat arbitrio, qui eorum indolem, constantiam, pietatem, varie periclitari studuerat. Itaque voti compotes illos facere decrevit. Sed obstabat non levis à parentibus ipsorum mora, quibus invitis nihil moliri Valignano deliberatum erat. Michael & Mancius, matrum viduarum proles; hic, primogenita: ille, unica. Exterritae accurrunt ambae. Satis superque scilicet religioni & pietati, quam sane palam & insigniter colebant, datum arbitrabantur, quod carissima pignora tot periculis & tempestatibus, per incertam & longinquam navigationem objecissent; quod iisdem per annos minimum octo fuissent orbatae. Itane, vix receptos denique sospites filios, rursus esse amittendos, nulla recuperandi spe? Possent illos, si maneat domi, ornamento esse religioni & praesidio. Perstabat regii juvenes immoti: testabantur hanc injectam sibi à Deo mentem, ut Ecclesiae Catholicae ac Fidei amplitudinem & majestatem, quam perspexissent in Europa, suis populis ubique praedicarent: restare hoc unum sibi, post tot tantaque beneficia, in difficillima peregrinatione divinitus accepta, ut se totos eorum auctori consecrarent: denique salutis aeternae curam sibi rebus omnibus & regnis esse potiore. Instabat ardentius Mancii parens, & alterum filium, Mancii fratrem; nec non Itondonum, dynasten clarissimum, consanguineum suum, tanquam adjuvatores ad Mancium facilius expugnandum adhibebat. Verum contentione tanta nihil profecit aliud, nisi ut, pro uno, quem studebat retinere, filio, duos perderet. Quippe alter, natu minor, Mancii fratris oratione accensus & exemplo, nuncium quoque rebus humanis remisit, acceptus octavo post mense in Societatem. Michaelis mater, suis diffusa viribus, affinem suum, Protasium regem Arimae submiserat, qui promissis ingentibus & auctoritate Michaelis labefactaret. Nihil evicit Arimae Rex: imo persuasit matribus ut repugnare Deo desinerent. Quod ubi vidit Valignano, facere non potuit quin egregios juvenes tironibus Societatis, ornamentum ingens & exemplum, adscriberet octavo Kalendas Sextiles anni MDXCI.

5. Legatio Principum Japoniorum per calumniam infimulata. Effet hic aliquis locus diluendae calumniae, qua nonnulli scriptores pervagatam Principum Japoniorum legationem ad Pontificem Romanum, obscurare, & in dubium, atque adeo in fraudis ac mendacii suspicionem vocare conati sunt. Sed hoc video jam ab idoneis susceptum auctoribus, & ipsa res ac veritas per se se

se loquitur. Qui enim fieri, quæso, potuit ut aut Regis Lusitaniæ administris, qui res Japonicas in oculis & auribus positas habebant, tam facile imponeretur, aut ipsi suo Regi tam naviter illuderent? An poterant ignorare quinam essent isti legati; cujus loci ac fortunæ; an, & à quibus missi? Eorum parentes & cognatos sibi esse notissimos & scripserunt è media Japonia, & aliqui Olisippone inde redeunte coram affirmarunt*. Quid? Imperator Japoniæ in omnem intentus occasionem exhibendi Patribus negotii, & Indicum legatum repudiandi, non eam cupide arripuisset? non Societatis homines cum istis eumentis legatis & comitibus, fraudis ac mendacii convictos, turpiter ejecisset, aut in crucem egisset? Quid præterea? Tot Bonzii, tot urbium præfecti, hostes infensissimi Religionis & Societatis, nihilne de ista fraude suspicati essent? non indicassent Principi, non in vulgus edidissent, cujus tot habuissent testes, quot Iapones? Mirro dicere cujus impudentiæ ac sceleris fuisset Orbem Christianum, & Summum Pontificem sic ludificari: cujus audaciæ, comminisci litteras Regum Bungi, Arimæ, & Omuræ: illas in amplissimo Cardinalium confessu, & magna principum antistitumque frequentia, recitandas proponere. Exstant adhuc istæ litteræ, in ipsis Romæ oculis editæ: exstat oratio, in eodem confessu ad Pontificem, Cardinales & antistites habita, cum responso per Antonium Buccapadulium dato, Summi Pontificis nomine. Cui sano persuaderi poterit neminem, tot inter Societatis adversarios, quibus hoc unum videtur opus esse, ut odium illi struant fictis fabulis atque calumniis; neminem, inquam, tunc repertum fuisse qui comœdiam hanc Japonicæ legationis explicaret, hominesque dedoceret certis argumentis, quæ profecto deesse Anglis, Batavis, ceterisque in Japoniam comitantibus, non poterant, si falsa hæc, ut jaçtatur, & commentitia Iaponum legatio fuisset? Mirari potius licet inventos esse scriptores, qui rem in Europæ atque Asiæ luce gestam, totque veritatis certissimæ notis insignitam accusare mendacii non dubitaverint. Quamquam illud mirari desinet qui creatos ab illis per inficitiam aut malevolentiam, & convictos * Episcopos Japoniæ cognoverit, de quibus nulla unquam exstitit mentio in Romanæ vel Japonicæ Ecclesiæ monumentis, quorum publica fide constat nullos Japoniæ antistites præterquam è Societate Jesu, fuisse renunciatos. Primus huic muneri destinatus fuerat P. Andreas Oviedus, cum adhuc esset Æthiopiæ Patriarcha, & in sterili Africa solo frustra defudaret. Jussus à Pio V. * in Japoniam commigrare, ubi spes maturæ messis ostendebatur, Pontificem rogavit ut liceret sibi custodiam Ecclesiæ sibi primùm desponsæ, quamvis ingrata ac sterilis, retinere; & in Æthiopia substitit. Huic successit P. Melchior Carnerus, cum in Japoniam tenderet, Macai decessit. Subrogatus Carnero P. Sebastianus Morales, in Indiam è Lusitania navigans vix Mosambicum attingit, ibique vitæ cursum implevit. Quarto post ejus obitum anno, nempe MDXCII. P. Petrus Martinez, Indiæ Provincialis, designatus est Episcopus Japoniæ: in eam tamen anno tantum MDXCVI. pervenit. Nominatus eidem fuit adjutor ac successor P. Ludovicus Cerqueira, theologiæ professor in collegio Eborensi, ac biennio post Olisippone consecratus Tiberiacensis Episcopi titulum sumpsit. Utriusque nominationem Pontificia & Regia auctoritate factam eo minus molestè Claudius Aquaviva tulit, quòd illa dignitas periculum plus haberet ac laboris, quam splendoris & commodi, Taicofama in Christianorum perniciem acrius in dies incumbente.

* Michael Gama.

* In fal/a P. Ludovici Soteli episcopi. Vide Partem VI. Historiæ

* An. 1566.

Illorum numerum & vires extimescens, gentem invisam aut perdere difficili attritam bello & exhaustam; aut in Sinas procul & Coream peninsulam transferre meditabatur. Hoc maxime consilio Sinicum suscepit bellum & Coreanum. Alia forte suberat etiam causa, nimirum ut Iapones armis assuetos, nec otii faciliè patientes, externo distineret bello, atque impediret ne quid novarent ac molirentur domi. Nec superbum Principem non stimulabat Imperii latius proferendi cupiditas; & patrios heroes, quos in Deorum numero coli videbat, rerum gestarum gloria superandi.

Ejusmodi stimulis incitatus copias terrestres ac maritimas incredibili celeritate, sumptu, & apparatu instruit. Dein à Rege Coreano liberum in Sinas transitum per ejus fines petit. Abnuenti bellum denunciat. Corea peninsula, & Imperii

6.

Coreanum bellum quo consilio susceptum, quo exitu confectum.

perii Sinici qua spectat orientem, limes, Tartaria cohæret à septentrione: inde in Austrum ad leucas centum & sexaginta protenditur. Latitudo quinquaginta fermè leucarum est; eoque minor sensim, quo longius in meridiem excurrit. Suum habebat Regem Sinis vectigalem. Gens ipsa solers, impigra, neque armorum-rudis, ut vel in eo bello patuit, quod indixit illi Taicosama. Quatuor ille duces universo præfecit exercitui; ex iis duos Christianæ religionis cultores, quibus primas occupandæ Coreæ partes dedit, dum ipse belli totius spectator ac testis, cum delecto, ad subsidium, robore copiarum, consistebat in insula Iaponiæ Ximo, quæ ab Coreâ exiguo maris tractu dirimitur. His sub finem anni MDXCI. adornatis Meacum pergit, & quia prolem masculam habebat nullam, Inangondonum, sororis filium, rite adoptat, eique nomen Cambacundoni, quod ipse hæcenus gesserat, imponit; seque Taico-Samam, id est *Magnum Dominum* vocari deinceps iussit. Erat in insula Ximo Christianorum numerus ingens, & pietas numero par. Erectæ passim Cruces, templa, & Seminaria, triumphum quendam de profana superstitione agere videbantur. Incessit nostros metus ne religionis majestas offenderet animum Taicosamæ, in Ximum Meaco propediem redituri, veteresque in Christianum nomen iras excitaret. Impetratum fuit a Principibus, & regulis Christi cultoribus, ut cautius occultiusque exercerent officia pietatis, ut cæcus haberent vel ante lucem, vel ignotis ac minime suspectis in ædibus; publico denique religionem tantisper carere paterentur. Hanc moderationem si religiosi aliquot viris, qui postea venerunt in Iaponiam, perinde persuadere Patres potuissent, pauciores martyres Iaponia, plures fortasse Christianos haberet. Sed pietatis æstum quendam impetumque moderari arduum est.

Ejusmodi cautionibus adhibitis effecit Valignanus, ut interim dum Meaci Taicosama morabatur, præcipui Patres, ac præsertim præpositi domiciliorum Societatis in Iaponia, convenirent Nangazachium, tertio nonas Febr. anni MDXCII. Qui tum complexus, quam suaves inter spem, & metum periculorum impendentium, lacrymæ fuerunt! Consultatum de re communi per dies undecim: delectus, ut Romam iret procurator, P. Ægidius Lamata, qui feliciter emenso cursu, in Iaponiam postea cum opportuno subsidio revedus est.

Interim Augustinus Tzucamindonus, unus è ducibus quatuor, universo exercitui præfectus, cum expedita, præsertim Christianorum, manu transmittit in Coream, ac mira felicitate urbes munitissimas alias vi, alias deditione, capit; alias sola sui adventus fama perterritas occupat. Hostes prope regiam urbem, congregati ausos collatis signis profigat. Urbem peninsulæ primariam, Rege fuga dilapso, ingressus cum victricibus copiis, ita milites à rapinis, cædibus, incendiis, & aliis, quibus licentia belli gaudet, flagitiis continuit, ut ad servandam civitatem, non ad capiendam, venisse videretur. Successus adeo felix & inexpectatus quantum illi peperit gloria, tantum apud imperatorem & reliquos exercitus duces, qui cum parte copiarum substiterant in Ximo, conflavit invidia. Victos Taicosama Christianos, aut certè male multatos maluisset, si sine clade sua & dedecore fieri potuisset. Eorum ut gloriam obtereret, duces ethnicos, cum parte copiarum in Coream transportavit. Mutata continuo facies belli, & fortuna: sive quia miles ethnicus non tam de victoria, quam de præda, cogitabat; sive quia duces dissidebant inter se se. Rediit spes animusque Coreanis: è montibus & sylvis, quo relictis oppidis profugerant, repente prorumpunt unà cum Sinis Tartariisque; classem Japonicam dissipant, comæteum intercludunt; arces aliquot recipiunt: fame hostilem exercitum macerant. Quare, omnis agris, ubi annonæ caritate laborabatur, in hiberna se recipere Japones coacti sunt in iisque partem anni sequentis exegerunt.

Ad Christianos interim ibi excolendos expetiti a proceribus religionem catholicam profitentibus, nonnulli è Sociis in Coream profecti sunt: illis adniventibus ducum ac militum Christi cultorum pietas mirum in modum effloruit. Castra divinis personabant laudibus; manipulares ipsi cum primariis centurionibus sacrum quoddam foedus ad vitia militaria debellanda iniisse videbantur. Quibus exemplis indigenæ complures permoti Christum agnovere. Ceteras inter Christianorum

7.
Socii ad Coream
nam expeditionem
missi.

Asianorum militum virtutes, patientiæ locus non levis fuit, cum Japonica res propemodum concidit Constantini, Regis Bungi, vitio & ignavia. Servare justus idonea quædam receptui, si foret opus, castella, fugerat, hostium quos audierat adventare, metu, & assignatam sibi stationem deseruerat. Non inultum diu flagitium tulit. Statim quippe Taicosama Bungenſe regnum, quod in ejus familia seculis aliquot steterat, illi ereptum, Morindono ejusdem inimico donavit. Mox reparato exercitu Coreanos cladibus non paucis affecit; nec nullas accepit ipse: quibus offensus pacem confecit ultro, & ambitiosa imperii Sinensis occupandi consilia omisit, aut aliud in tempus distulit. Visum est ipsi multo facilius, & ad Japoniæ securitatem præstabilius, si Philippinas in suam redigeret potestatem, quas contendebat Japonicæ ditionis olim existisse. Ac primo quidem via molliori tentandam rem arbitratus, superbissimas ad earum gubernatorem litteras dat, jubetque ut quamprimum adsit, servitum & clientelam professurus, tributo pensato. Litteras detulit Faranda Japon, Christianus ille quidem verbo, re ac moribus ethnicus, eamque ob causam infensus Patribus, a quibus propter impietatem & scelera non semel objurgatus fuerat. Philippinarum gubernator diu, quid ageret incertus, hæsit. Hinc tributi, quod petebatur, & clientelæ dedecus; inde belli, si renueret, metus anxium tenebat. Statuit, missa legatione, utiles trahere moras, ac litteras inanes, ita compositas tamen ut superbo placerent Principi, rescribere. Occasionem hanc arripuerunt avide Castellani Philippinarum mercatores, ut insinuarent se in Japoniam, & commercii quæstum cum Lusitanis partirentur, quod antea nequicquam tentaverant. Eorum unus Dellianus gubernatoris litteras ad imperatorem in Japoniam tulit; ibique à Faranda nonnullisque aliis Patrum adversariis incitatus, non tantum ad Lusitanos commercii parte submovendos, verum etiam ad exterminandam Societatem conspiravit.

Admissus ad Principem offert a gubernatore Philippinarum litteras & munera. Et litteras quidem Faranda interpretatus est in hanc sententiam, quasi moræ nonnihil postularet gubernator, dum ad Regem Hispaniæ scriberet: Dellianus vero graviter exposulavit de Lusitanorum in Castellanos acerbitate; hinc oriri, quæ Japoniam & commercium permiscebant, turbas: earum autem præcipuos auctores esse Patres Societatis, qui cum Lusitanis conjuncti, avocabant mercatores alios a Japonia, & indigenas maximis emolumentis per summam injuriam spoliabant. Frustra sperari Philippinarum possessionem, quandiu Patrum nutu omnia Lusitanorum consilia regerentur. His auditis infremuit imperator, ceteroquin iræ vix potens; ac templum Nangazachienſe Societatis, cum ædibus Patrum æquari solo jussit; plesti Lusitanos, si quid peccasse deprehenderentur. Datur negotium Terrazavæ Nangazachii gubernatori, ut eorum causam & delicta cognoscat. Illos vacare culpa comperit, fraudem & insidias improborum cognovit: nec moram tamen ullam interponi passus est, quin impias manus ædi sacræ miles injiceret.

Erat illud templum, inter multa quæ jam ceciderant, amplissimum & ornatissimum; Assumptæ in cœlum Virgini dedicatum. Simul ac funestus rumor civitatem pervasit, concurrunt Christiani, mediosque in milites ac fabros irrumpunt; obijciunt moras, dum sacra supellex, & si quid è parietibus abradi poterat ornamentum, asportaretur. Postquam nefarios satellitum impetus retardari ulterius non posse vident, triste silentium ac tacita mæstitia defixit animos, cum cernebant exultantes in impia strage cultores falsæ religionis: cum sanctissimam ædem, suis cuique laribus potiorem, in qua Christo geniti, & pasti divina dape toties fuerant, dirutam jacentemque conspicerent. Nec minus inclementer in Patrum domicilia sævitum. Quia, materia omnis, ne qua spes instaurandi superesset, procul avecta est.

Hæc ædis sacræ lamentabilis ruina, tum Fidelis populi ac Patrum pejora in dies metuentium consternatio; denique tyranni crudelitas, delatoribus iniquissimis male creduli, & insontes indicta causa condemnantis, ipsorum etiam ethnicorum commiserationem excitavit. Aderat Nangazachii per eos dies Rex Ingæ, qui perspecta Christianorum patientia in tanta calamitate, divinam legem attentius cognoscere studuit, eamque suscepto palam baptisinate professus est. Nec diu pœ-

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

E e e e

nas

8.

Imperator domum Societatis ac templum Nangazachii exscindi jubet.

9.

Baptismus Regis Ingæ.

nas impiorum, à quibus ista clades orta erat, divina iustitia distulit. Taicosama, quo die mandatum de templo evertendo dederat, matre orbatu est: factoque, cum ad illam morientem iret, naufragio, vix emerit. Solisium Farandæ præcipuum adiutorem subito typhon cum navi haussit. Dellianus, dum revehitur Manilam, procella oppressus periit. Mercator alter, ejus in ista conjuratione socius, correptus apoplexia, & veniam à Superis, ac Patribus intermortua voce poscens, exspiravit.

S. I V.

QUINQUE SOCIETATIS SACERDOTES VENENO EXTINGUITI.

AT Imperatoris exemplum & immanitas odia improborum in Religionem & Societatem accendit, ac præsertim Regis Firandi. Flagrabat ille incredibili odio in Christianos, quos igni & ferro ad unum exterminasset omnes, nisi suæ regionis solitudinem, si sponte excederent; vastitatem & cladem, si repugnarent, metuisset. Quod poterat impune, in mortuorum ossa & cineres; in Cruces, aliæque pietatis catholice monumenta sæviebat: deinde clam sacerdotes aggressus, veneno plerosque interemit. Primus funesto poculo extinctus est P. Franciscus Carrionus. Navigaverat in Orientem anno seculi LXXIV. cum P. Valignano, cujus etiam jussu conscribebat res Japonicas, ac litteris annuis mandabat. Cum toxico totum triduum luctatus, diros inter dolores vivere desit anno MDXC. Natus Metinæ, quam Campensem Hispani dicunt, annos XXXIX. impleverat. Vim inimicæ potioni diutius tulit P. Theodorus Mantelius, Leodiensis, eaque tandem victus, anno MDXCIII. vix quartum & trigessimum ætatis annum permensus, extabuit Malacæ, quo profectus erat ut morbum cælo mutando frangeret. Subrogati fuerant Carriono & Mantelio, Georgius Carvalhalius & Josephus Furnalettus. Ambos eadem artes pestiferæ pariter extinxerunt; illum anno MDXCII. hunc MDXCIII. Carvalhalius Visei natus in Lusitania, & anno MDLXVIII. Societati adscriptus, venerat in Indiam cum P. Rodulpho Aquaviva anno MDLXXVIII. Decem annis in vinea Japonica utiliter & laboriosè contritis, obiit Ikizuki, in vico Firandensis ditionis, III. Nonas Majas. Furnalettus Venetiis in lucem editus, nomen Societati dederat anno MDLXXI. Septimo post anno Japoniam ingressus, in ea necem, magnarum virtutum & laborum præmium, adeptus est. Fertur una quapiam die baptismum bis mille sexaginta ethnicis impertivisse. Cum epota, & inclusa visceribus morte toto sesquianno confictatus, Aprilis mense anni sequentis malo succubuit. Venit in partem ejusdem gloriæ ac mortis quintus, cujus nomen proditum non fuit; sed est scriptum in libro vitæ.

Leniore fato decessit Laurentius, adjutor domesticus Societatis; ab oculi vitio Luscius, a patria Japon, promiscue cognominatus. Eo nullus vernacula lingua disertior, nullus fere utilior in popularibus suis instituendis operam collocavit. Ortus in regno Fingensi, & a S. Francisco Xaverio baptizatus Amangucii, hunc primò, deinde P. Cosmum Turrianum, secutus est, ac primus è Japonia Societati nomen dedit, anno seculi nono supra quinquagesimum, ætatis quinto & tricessimo. Eorum vero congressu & exemplo, licet litterarum expertus, ita profecit, ut Patrum interpres & egregius concionator evaserit. In hominibus ad Christum adducendis mira pollebat arte: testes Iustus Ucondonus, Augustinus Tzucamindonus, Principes Darius ac Ioachimus, quos patrii erroribus liberatos, Christo asseruit. Hoc habebat singulare ac proprium, ut Fidei mysteria explicaret inductis in sermonem familiarem colloquentium hominum personis, Japonæ percontante, Christiano respondente: quas interrogandi ac respondendi partes, voce mutata, solerter unus ipse dum sustineret, convincebat eruditos, docebat rudes, delectabat omnes. Imperator viri fama permotus, audire dicentem expectavit, ac vinci se fassus est*. Bonzios ultro provocabat ad dimicationem, & eorum coarguebat inscitiam, ferociam retundebat. Accidit aliquando, ut eorum unum, inclytum inter suos, & nationis Bonziæ coryphæum, obmutescere cogere. Qui exæstuans iracundia, & ignominiam cladis (nam aderat imperator disputationis arbiter) non ferens, in Laurentium involavit rabidus, arreptoque acinace illum pæne mactavit. Vivendi vincendique finem fecit Nangazachii, anno MDXCII. ineunte: ætatis sexagesimo septimo. Haud ita multo post Valignano in Indiam vela dedit. Fuérat hæc ipsi demandata provincia, ut Taicosama litte-

IO.
P. Laurentii
Lusci, sive Japonis,
obitus.

* Vide ann. 1581.
n. 370. & Nierenberg. To. IV.
pag. 269.

ras ad Indiæ Proregem ac munera, deferret, uti supra docuimus, VII. Idus Octob. Macaam versus iter intendit, inde Goam perrexturus. Ecclesiam Japonicam vicenis Christianorum millibus intra biennium reliquit auctiorem: Sociis centum circiter ac triginta, qui eam excolebant, Patrem Gomezium præfecit.

Dominicam hanc vineam, a S. Francisco Xaverio plantatam, ejusdem Societatis sacerdotes per annos amplius quadraginta coluerant. Cum tamen fecundam & latè diffusam cernerent messem, egerant non semel cum Præpositis Generalibus Societatis de religiosis Ordinibus aliorum sacerdotibus in ampli & gloriosi laboris partem advocandis. Eorum iterata vota Claudius Aquaviva detulit ad Gregorium XIII. qui omnibus diu multumque perpensis vocandos esse non judicavit: imo propositis gravibus pœnis interdixit, edito diplomate V. Kal. Februarii anni MDLXXXV. ne quis omnino in Japoniam prædicandi Evangelii causa, exceptis Religiosis Societatis JESU, se conferret. *Etsi*, inquit, *regio illa Iaponia latissima sit, & magno, vel potius maximo, operariorum numero egeat: tamen quia utilitas operis, non tam in operariorum multitudine, quam in agendi & docendi modo, & ingeniorum gentis illius agnitione, consistit: ideo magna adhibenda est cautio, ne permittantur illuc homines novi & incerti pervenire; ex quorum novitate ac varietate talis oriatur admiratio, que insuetis noxia sit & periculosa, ac Dei opus impedire vel perturbare possit. Proinde considerantes, nullos hætenus sacerdotes, præterquam Societatis IESU, ad regna & insulas Iaponicas penetrasse: & eos solos nationibus illis Christiana fidei suscipienda auctores, præceptores, ac veluti parentes fuisse; ac vicissim illos Societati, ipsiusque hominibus singularem quandam fidem, pietatem, ac reverentiam tribuisse; propterea Nos cupientes hanc conjunctionem, & amoris caritatisque vinculum, ad majorem salutis eorum profectum, solidum & incorruptum manere; Motu proprio, ex certa que scientia nostra, omnibus Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, etiam provincia China & Iaponis, sub interdicti Ecclesiastici, & suspensionis ab ingressu ecclesie, Pontificalium exercitio; aliis verò sacerdotibus & clericis, ministrisque Ecclesiasticis, secularibus & regularibus, cujuscumque status, ordinis, conditionis existentibus, exceptis Societatis IESU religiosis, sub excommunicationis majoris, à qua, nisi à Romano Pontifice, vel in articulo mortis, absolvi nequeant, pœnis ipso facto incurrendis, interdicens, ac prohibemus, ne ad insulas regnaque Iaponica Evangelii prædicandi, vel doctrinam Christianam docendi, aut sacramenta ministrandi, aliarve munia Ecclesiastica obeundi causâ, sine nostra aut Sedis Apostolica expressa licentia proficisci audeant.*

Porro, quamvis Clemens VIII. liberum posthac aditum in Japoniam religiosis aliorum Ordinum patere voluerit, hæc tamen facultas anno duntaxat MDC. data fuit: in eaque ipsa Clementis Constitutione prohibetur disertis verbis, ne quis è Philippinis, aut ulla Indiæ Occidentalis parte, Japoniam Indiamque reliquam exortivam, Fidei propagandæ causa subeat*. Gregorii XIII. decreto morem geri Philippus II. Rex Catholicus omnino iussit, idque per suos in Oriente præfectos & administratos significandum, præsertim in Philippinis, curavit. Ibi enim Japoniæ res, propter viciniam & comœandi opportunitatem, erant notiores; & secundissimum Evangelii cursus complurium è religiosis aliis familiis sacerdotum pietatem stimulabat, ut aliquas è tam feraci campo palmas ipsi quoque deciperent. Nec minus incendebat mercatorum aviditatem vicinia Japoniæ, quam solis apertam esse Lusitanis & quæstuosam dolebant. Eas ob causas Pontificium decretum utrique graviter tulerunt, quasi fuisset extortum à Pontifice per Societatis homines, regnum sibi quoddam, ut aiebant, ac suis Lusitanis, in Japonia munientes. Auxit offensionem hanc & æstum animorum illata per imperatorem Christianæ rei clades, quam nostrorum pariter avaritiæ & ambitioni assignabant. Istas querelas maxime spargebat Faranda, cujus proxime facta mentio*. Hic prioris legationis, quam Philippinarum gubernator anno MDXCIII. miserat in Japoniam, præcipuus interpres & sequester, Manilam redierat; seque Taicosamæ legatum ferebat, licet nullis, quæ fidem facerent, litteris instructus: sed illas, & ipsius imperatoris epistolam in ea navi dicebat fuisse, quæ dum Ma-

II.
Aliorum Ordinum religioſi sacerdotes inire Japoniam a Pöſtifice vetiti.

* Spond. ad ann.
1600. n. 26.

* Num. 7. & 8.

nilam è Japonia rediret, factò naufragio perierat. Commemorabat etiam Franciscanos in Japonia summopere expeti. Eadem occinebat Indus quidam Canarius, qui à nobis olim adhibitus ad doctrinam sacram populo tradendam in Japonia, & quia suspecti mores erant, valere jussus; profugerat Manilam, ubi religiosi ordinis induerat vestem; conceptum adversus Societatem odium non exuerat. His auctoribus diditur per Philippinas rumor, catholicam rem in Japonia Societatis vitio concidisse, Patres exterminatos, templa destructa; ethnicos Christi fidem olim amplexos, ad colenda falsa Numina revolutos.

12.
Franciscani Japoniam è Philippinis ingressi.

Hæc à mercatoribus Castellanis ut libenter audita, sic facillè credita. Urgent Philippinarum gubernatorem, ut ne occasione desit: pulsus per vim nobis, aut sponte cedentibus Japoniâ, nullum interdicto Pontificio, nullum edicto regio locum restare: denique nusquam esse vetitum, ne legatio in Japoniam mitteretur. Gubernator, etsi Farandæ parum fidens, cujus ingenium perspexerat, quia tamen successum missæ anno superiori legationis, & responsum Taicosamæ aliter cognoscere non poterat, ne quid in re tanti momenti peccaret, novam legationem in Japoniam decernit. Orat P. Joannem Baptistam, Franciscanorum in Philippinis Commissarium, eximiâ probitate ac prudentiâ virum, ut hanc provinciam cum aliquot è suis capeffat. Ille paulùm addubitans ob Gregorii XIII. Constitutionem, nihilominus & periculo religionis, quod nunciabatur, excitatus; & fretus nomine legationis, in viam se dedit. Eum comitari sunt ex eadem sacra Minorum familia Bartholomæus Ruiz, Franciscus à Sancto Michaelè, & Gondifalvus Garzia. Additus princeps legationis, (eo quippe nomine mittebantur) Petrus Gonzalez de Carvajal, vir inter Lusitanos primarius; ut non tantum Castellanis consultum, sed Lusitanis etiam videretur. Profecti cum donis litterisque Gubernatoris XII. Kal. Junii, anni MDXCIII. navim ad portum Japoniæ Firandensem appulerunt. P. Petrus Gomezius, qui vices Provincialis obibat, confestim ad eos unum è nostris destinat, cum magna cibariorum copia, sacris hospitibus recreandis; salutari amantissimè jubet, invitari domum, officia Sociorum omnium prolixè deferri. Franciscanis accidit gratissima nostrorum caritas; at eisdem mirificè perculit alia prorsus, ac narratum ipsis fuerat, Ecclesiæ Japonicæ, & Societatis facies. Degebant sub initium anni MDXCIII. in Japonia centum viginti sex è nostris: quorum duo duntaxat cum talari veste conspiciebantur palam, nimirum PP. Organtinus & Rodericius, indicto ceteris exilio per Taicosamam exempti. Lucem publicam reliqui vitantes exercebant solita ministeria, splendore ac strepitu quidem minori, at pari fructu. Nam per idem tempus Arimæ septingenti ethnici sacro fonte tincti sunt: Nangazachii, præter cives, advenæ octingenti: Omuræ amplius ducenti: circa Meacum quadringenti. In Ximo sacrarum confessionum a Patribus excepta uno anno centum triginta & amplius millia; repetitarum verò à prima ætate decem minimùm millia. Iniri facile non potest numerus eorum, qui variis in oppidis aut adducti ad Fidem, aut in ea confirmati fuerunt. Excursiones factæ in regna Voari, Mino, Canga, Noto, Ietchu. Collegium Amacusanum, quia erat in ditione Augustini, apud imperatorem gratiosi, minus patebat infidelium vexationi. Ex eo Socii vicinas in insulas effusi opima de vitis ac superstitione spolia referebant. Pari securitate fruebatur Facinarense Seminarium, in quo magnum lectissimæ juventutis numerum Societas ad pietatem ac litteras ita fingebat, ut illud P. Gomezius cum academiis Europæ cultissimis compararet. Quid quod in ipsa urbe Nangoya, ubi Taicosama versabatur, Christiani, ut palam antea, sic modo clam & intra parietes, obibant omnia religionis munia: demum ipse Imperator, cognita è litteris Terazavæ Nangazachii gubernatoris innocentia Patrum & moderatione, metuens etiam ne Lusitani, Nangazachiense templum anno superiori eversum moleste ferentes, suas aliò merces aveherent; ejusdem templi, ac domus Societatis instaurandæ potestatem fecit; eâ conditione, ut ne plures quàm decem è nostris ibi apertè degerent, qui numerus videbatur sufficere ad sacra Lusitanis ministranda.

Ea postquam Franciscani Patres intellexerunt, etsi videbant rem habere se aliter, ac Manilæ auditum erat; sibi que data fuisse ab imperitis & malevolis verba;

verba; tamen restiterunt in Japonia, solo Carvajalio Manilam redeunte: rati, opinor, in ea se posse commorari legatorum nomine; quod Gregorii XIII. constitutio prohibere non videbatur. Brevem igitur à Taicosama postulant moram, ut liceat sibi urbem Japoniæ primariam spectare; tum etiam ædificia mirari, quæ magnificentissimo apparatu fuerant ab eo nuper exstructa. Placuit ambizioso Principi postulatio. Eadem arte longiorem ab illo moram impetrarunt. Interim ad perfiscendam Japonum linguam adjecerunt animum; libros, & alia quæ opus erant subsidia, Patres Societatis suppeditarunt.

Jam aliquot mensibus constiterant Meaci, cum eos longioris otii tadium cepit. Progrediuntur Fuximum, quam in urbem, a se recens conditam, Taicosama nuperrimè venerat: gratulantur avido laudum Principi: rogant propriam, ut liceat habere Meaci domum. Annuat, curamque dat areæ ac sedis eligendæ præfecto Meacensi, qui locum ipsis extra muros urbis commodum assignavit: hoc tamen & suo & Taicosamæ nomine magnopere præcipiens, ne docerent religionem peregrinam, aut Christianorum cætus convocarent. Illi votis suis ac spei prolixè indulgentes, amplissimum moliuntur cœnobium, reclamantibus acriter non modo Christianis, sed ipsis etiam ethnicis, & quo res evasura esset prospicientibus. Franciscani meliora ominati, ne vacuum interea cœnobium foret, sodales suos è Philippinis advocant, cum novis ad Taicosamam donis, quibus ille mitigatus paulisper obtulit. Tyranni silentium optimam in partem interpretati, absolvunt cœnobii fabricam, templum dedicant: & cœtus Fidelis populi, ad sacrificia, conciones, sacramenta confluentis adeo non fugiunt, vel prohibent, ut invitent etiam, ac promulgent. Nec satis: utendum aura feliciter affante arbitrat, exstrunt Ozacæ domunculam, cum ædícula. Profecti Nangazachium, conspicantur nosocomia quædam vacua, & sacellum clausum: pertinebat illud ad sodales, à Misericordia nuncupatos, qui ne iram Taycosamæ accenderent, claudendum judicaverant. Illud Franciscani recludunt, ibique rem divinam publice facere non dubitant, reluctantibus Misericordiæ sodalibus, & preces minasque incassum adhibentibus. Re pervulgata, præfectus urbis ocludi sacellum imperavit, pœna capitis per præconem indigenis pronunciata, si quis ædem illam iniret. Reversus cum pudore Meacum, rei male gestæ causam in alios, velut insensos, conjecerunt. Neque tamen destiterunt admittere Japones palam ad Christiana sacra, & cætus interdiktos habere, quia dissimulare videbatur Imperator, non studio Christianæ religionis, ut postea patuit; sed exortis inter ipsum & Cambacundonum simulatibus, ac tragædiâ sane cruentâ, impeditus.

Erat Cambacundonus sororis Taicosamæ filius. Hunc ipse, sobole carens, successorem imperii dixerat anno MDXCII. * At suscepto postea filio, negligere Cambacundonum cœpit, eique ob crudelitatem & studium in Christianos jam dudum invisio, perniciem non obscurè machinari. Ergo illum in cœnobium Bonziorum includit, relictis decem tantum pueris nobilibus honoris causa, è quibus anno MDXCV. quinos abstulit. Jacebat mæore confectus Cambacundonus, attonsis, ut Japonibus in luctu mos est, crinibus, feralem necis sententiam opperens, quæ diu dilata non est: jubetur sibi, & pueris, quos apud se habebat, nobilibus, alvum ferro, more gentis, secare. Ductum a pueris carnificinæ principium, qui dum imbelli manu ventrem sibi fodicant, & luctantur cum morte, captus commiseratione Cambacundonus singulis cervices amputavit. Ipse adacto sæpius in viscera gladio, præcidendum lictori caput obtulit, annos duos & triginta natus. Visus est pœnas barbaræ crudelitatis meritò luere, quâ solitus erat occupare carnificis munus, & eorum qui publice supplicio afficiebantur cruore manus, exercitationis voluptatisque causâ, maculare. Ejus liberi tres, in quibus duo vix quinquennes, trucidati; de amicis pariter proceribus, & eorum conjugibus, amplius tricenis, sumptum supplicium. Ex iis matrona, in crucem cum liberis tollenda, & ignominiam supplicii non ferens, gladium corripuit, & commiseratione infantium, ac dolore amens, ipsis jugulatis ferrum innocenti sanguine imbutum altè sibi in viscera demisit. Aliæ nobiles feminæ, cum ad necem raperentur in vilibus plaustris, omnibus ornamentis exutæ, pallidæ, plangentes, & metui suppli-

13.
Cambacundoni
funesta mors.
Darii Principis
fausta & Christi-
ana.

* Suprà. num. 6.

supplicii, ante ipsum supplicium, exanimata, lacrymas omni populo, ditam tyranni crudelitatem detestanti, expressere. Ut ventum in plateam est, processit horrendo vultu tortor, amputatum Cambacundoni caput ostentans, & singulis oggerens: tum puerulos è matrum sinu avulsos in frustra concidens, ipsas denique ad unam obruncavit.

Dum ita sæviebat ferus imperator in suos, quies Christianis fuit aliquandiu ab ejus furore; qui domestico solutus metu, in eorundem exitum erupit, ut modo referemus. Interim oblata quiete usi Patres Societatis decem & amplius capitum millia sacris baptismi aquis biennio lustraverunt. In iis numerati sunt Samburandonus, imperatoris Nobunangæ nepos; filii duo gubernatoris Meaci, eorumque totidem patruales; Tangoensis reguli frater; Bokiensis provincie summus copiarum ductor; Nangazachii præfectus: alique opibus & genere conspicui, quorum ad Christiana sacra conversio, etsi publicè nota non erat, latere tamen virtus, undè ingens accedebat religioni splendor, non poterat.

Neophytus per calumniam accusatus furti (grave id ac tetrum in Japonia scelus) cum innocentiam patriis Numinibus invocatis probare cogere, percelli ad impiam carcerum arte nulla valuit: at petita ut per Christum juraret, ac impetrata tandem venia, ferrum candens illæsis compressit manibus. Alter in suscepta religione parum constans ac diligens, postquam respuit, hunc in modum foecordiae poenas ultrò dedit. Amicum è Christianis rogavit, ut præiret sibi vicatim, hanc mittens vocem: *En hominem Christianum, religionis suae parum diligenter culta vindicem.* Sequebatur ipse armatus flagello, quo lacerabat humeros, copiosum sanguinem lacrymis uberibus admiscens.

Hoc poenitentia ceterarumque virtutum studium fovebat in Christianis tum verbo, tum exemplo, Augustiæ Tzucamindoni pater Darius, qui vitæ per omnes constantissimæ pietatis gradus actæ præmium eodem anno MDXCV. est consecutus. Civium & popularium suorum incredibilem numerum Christo adjunxerat. Quos per se non poterat erudire, atque adire, per libros conveniebat, quorum plurimos in vernaculum converterat sermonem, ad sacras aedes bene multas adificandas non modo nummos liberaliter, sed operam & manum contulerat. Sibi esse in votis res quatuor prædicabat: primò ne divinum Numen ulla in re violaret; deinde ut ad extremum usque spiritum in ejus amore cultuque perseveraret; tum, ut quamplurimis aeternæ salutis iter aperiret; postremò ut haberet affatum, unde pauperum & miserorum subvenire calamitati posset: nam ea virtute mirificè delectabatur, non solum ante quam florentis fortunæ statum, & opes amitteret, verum etiam cum ad egestatem redactus, genium suum rebus necessariis, ad levandam aliorum inopiam, defraudaret.

Ethnicos, quicumque ad ipsum venirent, audituri de religione differentem, tandiu alebat domi suæ, donec per baptismum insiti Christo forent. Ad eum, ut ad communem Christianorum patrem, infirmi, senes, viduæ, pupilli, spoliati ac destituti, & nominatim Fidei causâ extorres, confugiebant. Si quis in urbe offenderet virum nobilem, è pristino dejectum dignitatis gradu, egenam, pannosum; assectabatur clam, cumque illo subibat domum, ubi unam, alteramve sibi detrahens vestis partem, rogabat ne gravaretur illam accipere: ac pauca, pro re & loco, ad confirmandum ejus animum in pietate, adjungebat. Ætatem ad annos sexaginta productam ingravescere animadvertens, secessit in castellum ab arbitris remotum, ubi rerum cœlestium contemplationi per otium vacans, ad aeternitatis iter se compararet. Biennio per hunc modum exaucto, cum debilitari valetudinem vehementius cerneret, deferri se Meacum jussit, ut in Patrum Societatis complexu spiritum exhalaret, à quibus *primicias spiritus* ac Fidei hauserat. Supremi morbi dolores acerrimos invicto animo tulit, tantumdem è cumulo poenarum, quas ob delicta commoverat, detrahi distans. Adstitit morienti P. Organtinus; itemque Justus Ucondonus, digna tanto patre soboles, quam vel appellasse, satis laudasse parentem est.

Inter Socios qui anno MDXCVI. ad Japonicæ vineæ culturam accesserunt, memorantur præcipua cum laude PP. Carolus Spinola, & Hieronymus de Angelis,

his, qui deinde in ipsa Iaponia vivi pro Christo lentis ignibus combusti sunt. Sed ad hanc palmam, nisi post errores ærumnaque incredibiles, non pervenerunt. Primo vere solverant è Tagi ostio cum Sociis quindecim, & quinque navibus; earum tres sexto post menſe Goam incolumes tenuerunt. Pratoria, quæ novum Indiæ Proregem, Franciscum Gamam; itemque altera, quæ octonos vehebat Patres, inque illis Carolum & Hieronymum, à reliquis divulſæ ventorum vi, & in Brasiliam usque delatæ sunt. Ad procellarum, prædonum, malaciæque pericula, morbi accesserant, quibus vectores ceteri afflictati, vix ut è quingentis duodecim utrumque sani starent: duo è nostris oppressi; alter Bartholomæus Sanchez, rei domesticæ adiutor, quem ætas ad sexagenos propemodum annos progressa non retardaverat, quominus longæ ancipitilque navigationis incommoda, & Japonicas cruces expeteret: alter, Jacobus de Vicariis, sacerdos, quem ob prudentiam consulere Aquaviva; ob pietatem vero adhibere familiariter Spinola, & monitorem, si quid peccaret, audire consueverat. Ac Spinolam quidem quarto post hunc anno in Japoniam, & vigesimo post *; ad rogam deducemus: nunc sanguinis Christiani publicè primum in Japonia fuit, & savæ tempestatis, quæ novis semper incrementis aucta in hunc usque diem furit, causas, initia, & modos aperire tempus est. Fluxerunt satis placide primi menses anni MDXCVI. Imperatoris offensionem vitare sacerdotes nostri studebant, exercendis ubique citra ostentationem ac strepitum sacris ministeriis. Religio veluti captiva & tenebris damnata, in ipsa tamen aula regnabat. In ea Japoniæ parte, quæ Ximus dicitur, centum triginta Christianorum millibus administratum pœnitentiæ sacramentum fuit, quorum decem millia universæ vitæ noxas generali confessione repurgarunt: in urbe Nangazachio octingenti per baptismum ad Ecclesiam aggregati: in regno Bungenſi, sexcenti: in insulis Amacusanis mille quinquaginta: quodque in hac temporum difficultate mirari magis liceat, templa non pauca diversis in locis de integro fabricata; & quod laudare magis lubet, edita virtutum exempla longè clarissima.

*An. 1622.

Nobilis Christianus ab ethnico terrarcha damnatus capite, per summam crudelitatem jussus erat sibi, ejus in conspectu, ventrem ferro discindere. Id in loco gratiæ ac beneficii ponitur apud Japones, qui ejusmodi nece non modo veniam consequuntur cujuscumque vel gravissimi sceleris, sed heroum instar post mortem celebrantur. Hanc moriendi conditionem iste nobilis recusavit fortiter; cum se Christianum esse diceret, ac lege Christiana vetitum ne quis violentas afferat sibi manus. Vitam nihil moror, inquit: hanc spernere, spe melioris, nostrum est. Necem subibo, licet innocens, quæcumque inferas: sed eam ut mihi consciscam, non persuadebis. Quem barbarus amaro mordens risu: Vile caput, ac degener, subjicit! sicine ignobilem ac timidum animum specioso pietatis nomine obtegis, nec sempiternam tibi ac tuis infamiæ notam inurere dubitas? Incredibile dictu est quam graviter dedecoris & ignaviæ exprobratione Japones urantur, quibus fama potior vitæ. Tamen hoc etiam telum Christiana constantia retudit, & quo pacto nobilem animum, salva salute sempiterna, probaret, invenit. Projicit acinacem, quem cum sica semper è zona suspensum gerunt; tum procidens humi, erecto collo, impavido vultu; Præsto sum, inquit, ferire, ac mactare potes. Generosi pectoris fiduciam non tulit feri hominis amentia; lanceam corripuit, mediumque transfixit.

14.
Exempla virtutum a Japonibus Christianis edita.

Nec viris cesserunt femina. Christianam inter uxorem, & maritum ethnicum, intercedebat jamdudum domestica & gravis altercatio. Illa virum perdurare nitebatur ad Fidem: hic à Fide uxorem conabatur abducere. Rationibus mulier; vir conviciis verberibusque pugnabat. Quibus tamen dum nequaquam cedere uxorem cernit, seque ratione vinci dolet, illam cum ancillula, itidem Christiana, deducit in obscurum nemus. Utramque per avios ignotosque calles compellit in locum longissime ab arbitris remotum, ac tenebris propter confertas arbores, horridum. Illic stare ambas jubet, acinacem stringit, & conjugem ore torvo intuens, Aut Christum tuum jam ejura, aut eadem te fors atque istam manet. Dixit, & reducto acinace, quem strenuè Japones, ac mira dexteritate,

tra-

tractant, ancillæ nec opinantis dereptum collo caput ad uxoris pedes dejicit. Mulier, neque crudeli puellæ exitio territa, nec suo periculo; Perge carnifex, ait, volentem maeta: Christiana sum, Christiana hic moriar. Simul genua submitrens, collum nudabat excipiendo ferro, Jesum ac Mariam, defixis in cœlum oculis, Fidei suæ ac religionis testes, vocans. Perculit barbarum pectus constantia; & inter conjugis amorem, odiumque Christi, fluctuans, manum abstinuit. Sed domum reversa mulier, ac mariti furores impios timens, clam Nangazachium profugit. Uxorem, quam miserè deperibat, abesse vir sentiens, ejusque reditum desperans, ira & dolore incensus est usque eo, ut alvum sibi ferro fecerit, & infelicem animam cum parte viscerum projecerit.

Virgo nobilis, cujus insignem oris formam vincebat animi virtus & pulcritudo, mercedem pietatis ac pudicitia illustriorem tulit. Venerat bello capta in potestatem sordidissimi & nequissimi ethnici, qui ejus formam ac pudicitiam pervulgare decrevit. Puella injuriam precibus, lacrymis, gemitibus, deprecata incassum, & mori parata prius, quam fœdari, unum alterumve ganeonem tam belle accepit, ut virgineis unguibus pulcherrime depictus, ac pugnis dentibusque laniatus uterque aufugeret. Herus impotens virginem atrociter cadere sustulit instituit, identidem rogans, num tandem in sententia perseveraret. Ego vero, aiebat illa, Christiana sum, nec possum vivere nisi pudica. Impurus leno, sive hanc vinci posse diffidens, sive mortis metu expugnandam ratus, correptam in eum pertraxit locum, ubi supplicia de reis publicè fumebantur. Ibi lava comam puellæ, dextra pugionem tenens, Mutasne mentem, inquit? Negantem, ferro in finem adacto trucidat, & in fossam, quò facinorosorum cadavera projiciebantur, deturbat. Maxentia, regis Arimæ soror, Isafai principis vidua, pio ac voluntario Christianæ mortificationis martyrio dici potest necem ipsa sibi gloriosam conscivisse. Ab annis septem duntaxat Christianam colebat religionem, ejus tamen perfectionem videbatur assecuta. Quanto de rebus divinis plura noverat & majora loquebatur, tanto de se demissius modestiusque sentiebat. Duobus ante obitum annis mane toto perstabat in æde sacra orans, genibus humi positus, licet perfrigida tempestate; nec ab ea, nisi post ultimum sacrificium, recedebat. Postrema, quæ mortem illius antecessit, Quadragesima, cilicium asperitimum diu noctuque non deposuit; famem nisi oryza modica non sedavit, dies integros complures omni cibo abstinuit: nulla nox sine acri, ac sæpissime cruenta, corporis infirmi ac delicati verberatione. Humi cubitantem, & Christi cruciatu meditationem. Acerbissimos, nec per dies quindecim unquam intermissos, morbi dolores gratis Deo agendis lenivit. En quos flores Japonensis Ecclesiæ secundus ager efferebat!

S. V.

P. PETRUS MARTINEZ JAPONIÆ EPISCOPUS.

Novus illi pastor eodem anno MDXCVI. accessit P. Petrus Martines. Creatus Episcopus Japoniæ anno MDXCII. cum esset provincie Societatis Indicæ præpositus, appulit Macaum anno MDXCIV. aut sequenti, ut aliæ litteræ tradunt, vela inde facturus in Japoniam. Sed longiorem opinione moram facere Macai coactus est, acceptis a Pontifice litteris, quibus jubebatur partes illic Sinensis antistitis gerere tantisper, dum in libertatem vindicaretur Leonardus Sà, consecratus Ecclesiæ Sinensis Episcopus, quem prædones maritimi conjecerant in vincula. Eo liberato P. Martines in Japoniam demum pervenit anno MDXCVI. Idib. Sextil. & quanto fieri maximo potuit, ut erant tempora, honore in collegium Nangazachienſe deductus est. Vidit summa cum voluptate auctum ovile Christi multis indigenarum millibus; excitatas plerisque in locis ædes sacras; certantes ad ornandam rem Christianam cum Evangelii magistris eorum discipulos. Salutandi Taicosamæ veniam continuo petiit: eique munera Indici proregis Matthiæ Albuquerquei obtulit, ac litteras; quibus recitatis, gratias egit Imperator, & regiæ vicissim dona cumulatè reposuit.

Hanc insolitam superbi Principis comitatem provocabat sive ambitio, cum se à Christianis, & eorum antistite coli videret; sive potius incensus barbaræ menti ab ultore Deo terror, qui feroces tyranni spiritus immani per eos dies terræ motu,

ac

ac regiarum ædium strage compresserat. Post vastatam à Japonibus Corea peninsulæ magnam partem*, Sinarum imperator, de Rege Coreano, beneficiario & cliente suo sollicitus, legationem de pace inter ipsum & Japones componenda misit in Japoniam. Taicosama legatos accipere tam superbo apparatu decrevit, ut admirationi Japonia Sinis ac terrori esset. Domum amplissimam illis accipiendis incredibili magnificentia sumptuque struxit: centum artificum millia per menses plurimos in hoc opus diu noctuque incubuere. Huc thesauros omnes comportavit; exuvias sexaginta provinciarum, quas spoliaverat. In ædium conspectu & vicina planitie stabat descriptus in suas legiones ingens exercitus, qui legatorum oculos è palatio prospicientium, militari palæstra, & decursionibus oblectaret. Accita undique nobilitas, & nulli sumptui iussa parcere: constituta gravi pœna, si quis non ornatissimus appareret; omnibus in vestium, equorum, rhedarum impensam conferentibus fundos, patrimonium, fortunas omnes, tyranni metu. Ipse inter tot reges ac tetrarchas, Numinis cuiusdam instar, verticem impium attollebat: cum Deus, qui resistit superbis, Japoniam horribili concussit motu, adeo ut hujus admirabilis ædificii superba moles, ac maximarum urbium amplitudo, nisi ex ruinis non cognosceretur. Princeps inter fœdam domorum, hinc inde immani fragore corruentium stragem, vix in collem seminudus evasit, filiolum sinu gestans, & leve tentorium modo huc, modo illuc, ubi minus apparebat periculi, deportans. Ut vero ad comprimendum præsertim ejus factum comparata ejusmodi clades intelligeretur, nusquam atrocius defævit, quam ibi, ubi splendidiora ejus superbiæ monumenta visebantur. Fuximi, qua in urbe arx illa, opulentia Japonicæ miraculum, ad excipiendos Sinenses legatos erat constructa; tantus cadaverum acervus exstitit, ut cum neque cremandi omnia, neque sepeliendi, potestas esset, partim abjecta fuerint in profluentem, partim in amplam congesta vallem, quæ in osseum montem excrevit. Par clades Ozacæ, ubi regiam quoque magnificentissimam ædificaverat; nec levior Meaci, ubi delubrum inter omnia Japoniæ fana celeberrimum & ornatissimum sibi ipse dedicaverat, proposita populis ad venerationem suâ statuâ.

Agnovit Numen superbus imperator; & quamvis Japonica ferocitate dolorem alto corde premeret, suspirans tamen & manifestam Dei virtutem contestans, exclamavit iisdem fere verbis, quibus olim superbus alter Princeps* vindicem expertus Deum, *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Quo magis hoc sentiret fecit manifestus Numinis erga Christi cultores favor. Quippe templis ethnicorum, domibusque nullo discrimine ruentibus, steterunt ædes Christianorum, & inter aliarum strata ruderum salvæ incolumesque conspectæ sunt. Nangazachium, quæ civitas referta Christianis erat, nihil admodum præter metum in communi calamitate sensit: aliæ urbes, ethnicorum plena, suum ferre nomen, cum incolis & ædificiis, amiserunt: delubra Numinibus profanis posita, quæ nulla vis humana dejicere posse videbatur, jacebant excisa, dum ædes sacræ Christianorum, ne unâ quidem exceptâ, licet opere levi ac parum firmo magnam partem structæ, inter everfas basilicarum impiatum moles, veluti caput efferebant. Satis constat in quadam infidelium civitate, a fundamentis eruta, catholici domunculam stantem & inconcussam oculos in se omnium convertisse; observatumque est, in ea ipsa solitos fuisse Patres, cum ædem sacram haberent ibi nullam, divina mysteria peragere. Neque corporibus fidelium minus, quam domibus, publica calamitas abstinuit. Erant Facatæ Christianorum millia facile quatuor: statim atque tellus paulum conquievit, eruperunt ex ædibus quisque suis, vicatim requirentes rogitantesque num quis Christianus oppressus ruina foret, quem extraherent, quem sepelirent: nemo unus inventus est: cum ex infidelium grege vix ullus integer & indemnus esset. Perfugerant in regnum Bungense faonorosi aliquot, olim Christianam professi legem, tunc eâ turpiter abjuratâ, relapsi ad mores pristinos: abruptum terra tumultuante, montis ad cujus radices sedebat illorum civitas, dorsum omnes obruit.

Christianorum pietati pepercerunt elementa, non pepercit invidia. Hæc in Hispaniam usque & Italiam atrocissimas criminationes detulit adversus Patres Societatis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

F f f

cietatis

15.
Immanis terra
motus ethnicos
obruit, Christiani-
nis parit.

*Supra. n. 6.

*Antiochus, II.
Machab. c. 9.

16.
Mercatura, &
alia quedam
Patribus Japo-
niam colenti-
bus objecta.

* P. Daniel Bar-
tolæ Lib. II.
Defense des
nouveaux Chre-
tiens, &c.

cietatis, eorumque alumnos. Referre singillatim ista dispudet, quæ luculentis & copiosis multorum scriptis confutata jam sunt*. Constat enim ex Ecclesiæ Iaponicæ monumentis, & omnibus quæ tunc perlata fuerunt in Europam litteris, Tai-cosamam nihil causæ aliud attulisse, cur sacerdotes Europæos vetaret domicilium in Iaponia ponere, quàm quòd Christianam religionem latius fundi nollet, ac patrios ritus obsolescere doleret. Eandem ob causam a se multatos exilio nostræ Societatis religiosos palam voce præconis edixit; eosdem idcirco in crucem tolli iussit; ut modò videbimus: tamen isti calumniarum artifices eundem imperatorem non odio religionis, sed nostræ auctoritatis & opum terrore ad extrema hæc descendisse affirmarunt. Et quidem, quod spectat ad auctoritatem, quemadmodum aliqua est in Evangelicis operis ad rem Christianam administrandam necessaria; sic esse non debet invidiosa, quando illa non utuntur, nisi ad populorum salutem & Ecclesiæ ornamentum. Ad opes quod attinet, perspicuum est Societatis sacerdotes Iaponiam ingressos accepisse omnino nihil ab indigenis, Christianam amplexis Fidem, quorum angusta sæpe domi res erat, ac Bonziorum etiam rapinis, & quæstuosis carimoniis, exhausta. Ut igitur ab impiorum sacrificolorum avaritia, & rerum sacrarum scelerata nundinatione, tanto longius removerent sese, quanto sanctiorem & veriozem prædicabant religionem, prædiis aliunde ministratis vitam sustentabant. Quia etiam repudiabant munera, si qua sponte Iapones obtulissent, præsertim in exequiis, in quibus deferri solebat ad Bonzios quidquid armorum, vestium, pretiosæ suppellectilis, repertum in mortui domo foret. Sed cum ex hac ipsa nostrorum austeritate contemptuque pecuniæ, Bonzii arriperent occasionem eos accusandi, tanquam in ornandis mortuis parum diligentes & pios, quod gravissimum in Iaponia crimen est: tum etiam, ne sancta stipis erogandæ consuetudo senesceret apud neophytos; placuit, probante Roma, designare quempiam in qualibet æde sacra, qui dona Fidelium colligeret, mox eadem in omnium conspectu divideret egentibus. Interim aucto Sociorum numero, crescentibusque impensis tum viarum, tum necessariæ ad sacras ædes instruendas suppellectilis, non sufficiebat Europæa pecunia, ob eam maximè causam quòd illius pretium in Japonia longè sit, quàm in Europæa, vilius. Adde prædonum direptiones, detrimenta naufragiorum, & sexcentos ejus generis casus. Denique videtur ea pecuniæ fors & conditio esse ut, dum per varias dispensatur manus, decrescat sensim ac dilabatur; raroque ad dominos, absentes præsertim, ac remotos, tota veniat. Hinc fiebat ut ex elemosynis Summorum Pontificum, & Regum Catholicorum, exigua pars ad legis divinæ in Iaponia ministros perveniret. Quare satius visum est, ejusmodi elemosynas conferre in merces, quæ valorem eundem & vim semper habent, ac minoribus damnis incommodisque obnoxia sunt. Igitur edicto Francisci Mascarenæ Proregis Indici, ac mercatorum consensu, statutum fuit ut è mille sexcentis flii ferici fascibus (totidem enim ab urbe Macaensi singulis annis venales in Iaponiam deportabantur) quinquaginta cederent Patribus, ita ut pecunia ex iis redacta, ipsis induceretur. Id autem quamvis recte ac jure fieri posse legum Ecclesiasticarum consulti censerent, nihilominus Pater Everardus Mercurianus, Generalis Præpositus Societatis, P. Alexandro Valignano enixè præcepit, ut rem totam ac rei modum diligentius examinaret. Neque eo contentus Aquaviva, Mercuriani successor, eandem Summo Pontifici minutatim exposuit, à quo sine ulla dubitatione comprobata fuisse idem Aquaviva scribit, additque negasse Pontificem mercaturam hanc appellandam videri: quippe quæ ob solam alimenti necessarii rationem, nec lucri quærendi causâ, fieret. Hoc illud est commercium, hæc negotiatio quæstiosa, quæ Societati nostræ toties objecta fuit ab iis ipsis, qui reprehendebant in nobis quod ipsimet usurpare necessario cogebantur. Nam in Indiis, Japonia, & aliquot imperii Sinici provinciis, fere non vivitur nisi mercibus ultro citroque mutandis, neque alii proventus usitati, censusve, sunt. Et in Angolano Africæ regno, ubi per idem tempus vix auditum pecuniæ nomen erat, ejus vicem servitia empta, venditaque, supplebant. Alii sunt aliis gentibus mores: iis utendum, qui cum pietate ac religione non pugnant.

DUM scriptis & invidiosa fama vexabantur in Europa Christiani Japones, illos in Japonia ferro & crudelibus edictis Taicosama insectabatur. Eaque dici secunda potest Japonensis Ecclesiæ persecutio. Primam enim idem imperator movit anno MDLXXXVII. ut narratum est priore Tomo hujus V. Partis. * Franciscanos initio toleraverat veluti legatos gubernatoris Philippinarum, quas brevi suam in ditionem venturas confidebat, quemadmodum ei persuaserant Faranda & Faxeda, Franciscanorum interpretes & deductores. Hoc ut imperatori persuaderent, litteras gubernatoris Philippinarum, a Franciscanis oblatas Taicosamæ, in hanc sententiam falsò interpretati erant, quasi gubernator munera & responsum expectans a Rege Hispaniæ, intereà se Taicosamæ clientem, ac dedititium, profiteretur. Id initio legati non intellexerant, Japonici sermonis rudes. At postquam usum aliquem linguæ vernaculæ sunt adepti, tunc vero litteras & mentem gubernatoris ipsimet explicantes, interpretum malam fidem prodiderunt. Excanduit imperator, delusum se denique sentiens. Interpretes debitas perfidiæ suæ pœnas veriti, periculum quod sibi timebant, in Franciscanos retorquerè decreverunt. Sopitas Taicosamæ suspiciones ac metus de Christianis, excitant: venisse istos Philippinenses per speciem legationis, ut exterorum numerum & animos auferent, junctisque viribus sinistram aliquid in Japoniam universam molirentur: perspectas sibi nunc tandem esse hominum artes, quas adhuc intelligere nequiverint: frustra responsum Regis Hispaniarum, & promissam a tot mensibus clientelæ professionem expectari: obtestantur Taicosamam ut patriæ, ut religioni, ut sibi, consulat.

His accensum & furem improvida Hispani vox navarchi ad maturandam Franciscanorum perniciem, & Christianæ religionis excidium, impulit. Pridie Idus Quintiles anni MDXCVI. vela fecerat è Manilano portu in novam Hispaniam oneraria, cui nomen S. Philippi, ditissimis referta mercibus. Vi tempestatis in Japonium ejecta littus, ibique paulatim dehiscens, spatii satis dederat vectoribus ut incolumes enatarent; & regulo Japoni, huic oræ maritimæ præfecto, ut merces omnes in apothecas suas comportaret. Est ea Japonum lex & consuetudo, ut naufragorum bona, tanquam fisco addicta, imperator invadat. Quamobrem hortatur magistrum navis regulus ut conveniat Taicosamam; in ejus potestate ac ditione prædam hanc omnem esse, neque ab alio, quàm ab illo, cujus ea jam sit, condonari ac remitti totam, vel partim, posse: simul indicat Mexitam Jemondonum, unum è præcipuis regni administris, quo adjutore, inquit, rem è sententia conficies. Erat ille reguli ejusdem amicus, quicum partiri scelestera, & eorum fructum, consueverat. Allegantur ad Taicosamam præcipui è vectoribus, cum grandi munere: adduntur iis comites religiosi nonnulli, qui navim naufragam conscenderant: utrique diligenter monentur, ne consilio Patrum Societatis & operâ utantur ullo modo; quippe qui æmulatione prava (sic enim jactabatur) pios aliorum religiosorum infringere conatus, & libertatem Evangelicam inertibus vinculis alligarent. Mexita monitus ab amico, & in partem prædæ invitatus, Taicosamam de re tota docet: quanta obvenerit præda ostendit; addit suspicionem, & metum, a tormentis æneis plurimis maximisque, & aliis armamentis, quibus instructa navis erat: dubium non esse quin ad bellum Japoniæ inferendum comparata hæc fuissent. His imbutus imperator, legatos pessimè verbis accepit, lucro apponendum dicitans quòd salvos abire pateretur: ipsorum munera, ut rem suam, retinuit. Erat inter quatuor primarios regni administris Guenifoinus Japon, vir probus & sapiens, æquitatis plus, quàm ethnicis mos, tenax; Patrum Societatis, atque adeo religionis Christianæ, studiosus. Per hunc recuperari merces facile potuerant: ipsumque hujus negotii moderatorem adhiberi Patres Societatis magnopere suadebant. Auditi non sunt; & lata est in infelices naufragos hæc ab imperatore sententia, ut nave, fortunis, & mercibus exuti, vitam, instar summi beneficii, retinerent. Omni ope destitutis alimenta ministravit P. Gomezius, nostrorum præfes; ægrotos Nangazachienfè collegium excepit: ceteros suis & cleri sumptibus pavit Episcopus Japoniæ P. Petrus Martinez, donec pararetur navis, qua Manilam, ut ab imperatore

§. VI.

SECUNDA JAPONENSIS ECCLESIE PERSECUTIO.

* Lib. VII. n. 188. 200. 37.

17.

Occasio persecutionis. Navarchi temeraria vox

ratore iusti erant, repeterent. Interim, dum prada convasatur, ad Taicosamam deferenda, incidit Mexita in chartam geographicam: dumque veloci oculo per-
lustrat descriptum in suas regiones Orbem; quæ, & quorum principum sint regna
quærit. Navarchus, homo Cantaber, ut sui Regis potentiam opeque commen-
daret, Hispani juris ac nominis terras, in Europa, Africa, Asia, & America si-
tas, indice digito monstrat. Hoc magis obstupescere Mexita; mox percontari
quibus tandem artibus tantum terrarum Rex unus domuisset. Armis, subiecit
Cantaber, & religione: præeunt nostri sacerdotes & nobis viam sternunt; Chri-
stianis imbuunt sacris populos, qui deinde in Hispanorum ditionem facillime
rediguntur.

18.
Tres è Societate
comprehenduntur cum
aliquot Fran-
ciscanis.

Temerariam vocem, ac diu Christianis lugendam, excepit Mexita, & ad
imperatorem, cum ipsa charta geographica, detulit. Nemo consequi verbis po-
test quibus furiis agitatus Taicosama fuerit. Incurat se, quoddam legem diabolicam,
ut vociferabatur, non extirpaverit: Jacuinum, & alios ejus hostes, laudat: de-
mum ira & dolore amens exclamat; Nondum tamen Japoniam isti Philippinen-
ses obtinent, nec obtinebunt, me vivo; qui omnes illorum exercitus, arma,
regna, diffare nutu possum; sed liberis nostris & successoribus providendum est.
Sub hæc Ufoium & Farimandonum respectans, Tu Meacum vola, tu Ozacam:
Europæos Bonzios, cum ipsorum domesticis ac familiaribus, in vincula conjici-
te, donec renunciem quoniam illos mactari supplicio velim. Erat intempesta
nox, ea quæ sextum diem Idus Decembris anni MDXCVI. excepit. Properant
Meacum Ufoius, Ozacam Farimandonus. Repertus est Ozacæ unus è Patribus
Franciscanis P. Martinus ab Ascensione, cum domesticis tribus: unus item domi
nostræ, Paulus Miki, cum duobus rei Christianæ adiutoribus, Societatis candi-
datis; altero adolescente, Joanne Soan, sive de Goto; qui litteris operam da-
bat; altero seniore, Jacobo seu Didaco Kifai, qui domestica ministeria cura-
bat. Alii de Societate sacerdotes, qui Ozacæ ut plurimum debebant, profecti
erant paucis ante diebus Sacaium, una cum Episcopo Japoniæ Nangazachium
discedente. At Meaci Franciscanorum ædibus excubiæ protinus fuerunt apposi-
tæ, quod indictæ necis certissimum apud Japones argumentum est: & ex iis quin-
que a listoribus in indicem relati, cum ipsorum partim domesticis partim alum-
nis duodecim. Nostras ædes, ubi P. Organtinus cum Sociis aliquot morabatur,
per vicinos observari duntaxat voluit Gibonoscius, Meaci gubernator; quod le-
vissimæ custodiæ genus illic habetur, affirmans perspectam sibi esse imperatoris
mentem, a quo poena duntaxat Philippinensibus, non item nostris, fuisset irro-
gata. Quamobrem porrectum sibi ab Ufoio longissimum indicem, in quo nomina
procerum etiam complurium erant conscripta, cum nominibus Patrum Societatis,
laceravit; Ufoiumque verbis asperioribus castigatum, quod mentem Taicosamam
parum assecutus esset, quidquam ulterius tentare vetuit. Fuxinum tamen, ubi
degebat imperator, excurrit, ut ejus sententiam liquidius cognosceret: cui Tai-
cosama truci vultu, & cædem anhelans, Omnes, inquit, sine discrimine in cru-
cem tolli volo. Sensit Gibonoscius se alieno tempore venisse: confestim, ne fu-
rentem commoveret, quasi facturus imperata, se subdixit, amicos clam obte-
statur ut mollia captarent tempora, & quæ in rem putarent esse, providerent.

Id egregiè præ ceteris Guenifoinus præstitit. Arrepta occasione intulit men-
tionem de Patre Rodericio, qui Taicosamæ percarus erat. Hunc cum reli-
quis necari velit rogat; aut ceteros, qui ejus edictis morem adeo reverenter &
accurate gesserant; qui se tenebris & solitudine damnaverant; qui ad omnes ejus
nutus erant paratissimi: an P. Organtinum, quem impune hæcenus Macai degere pas-
sus erat. Illos vero, subjicit Imperator, securos omnes esse meis verbis jubet.
Subeuntem in tempore Gibonoscium monet expetendas de solis Philippinarum
legatis poenas; id Patri Rodericio, ejusque sociis, ac nominatim Episcopo ex
Indiis recens advecto, quamprimum significet. Gibonoscius mittit è vestigio Mea-
cum, & certiores magistratus de imperatoris voluntate facit. Idem Ozacæ fuit
significatum; remota nihilominus ab ædibus nostris custodia non est; sive id Chri-
stianorum odio Farimandonus, urbis Ozacæ præfectus, neglexerit; sive potius
metu:

metu: illum enim non semel objurgaverat imperator, quasi Christianis nimium indulgentem. Extimuit, ne si nostros Ozacæ deprehensos abire liberos pateretur, suspiciones Taicosama confirmaret, ac perniciem sibi ipse strueret. Gibonoscius etiam admonitus postea de nostris Ozacæ repertis, ut eorum nomina deleterentur ex albo necandorum, negavit sibi esse integrum: nec tutum judicavit eodem de negotio Taicosamam sapius interpellare, ne illum fortasse dati aliis beneficii pœniteret. Diem interim compositò trahebat, id sperans fore, ut Franciscanis irrogatam mortem placatus imperator exilio mutaret, ac nostri simul periculo liberarentur. Et miscere barbari Principis furor cœperat, cum scelestus Jacinus solitis artibus eum ad severitatem pristinam revocavit. Quærit ex Gibonoscio Taicosama quid sibi tantæ velint moræ. Meacum omnes extemplò abduci, naribus ibi & auriculis spoliari, circumduci per urbem ad ludibrium; similiter Ozacæ & Sacaii ostentari cum ignominia; denique Nangazachium ad crucem deportari præcipit*.

At paucis illis diebus, quibus nondum de imperatoris voluntate omnino constabat, dici vix potest quantus Evangelii præconum, quantus Christianæ plebis, ad gloriosam necem subeundam ardor exstiterit. Patres Societatis, inter Fidelis populi, retinere illos & morti eripere tentantis, lacrymas ac pios conatus, Meacum è remotissimis etiam urbibus ad primam nuncii felicitis auram, tanta celeritate, rebus omnibus omissis, properarunt, ut eos ethnici exisse de potestate crederent. Nec minor in aliis Christi cultoribus alacritas: cuncti lato gestire plausu; plerique, quasi suprema dies instaret, inter se amplecti; alii rem domesticam, ut expeditiores ad mortem essent, componere. Matrona locuples, allatis Fuximo litteris, quibus monebatur denunciata esse Christianis omnibus ab imperatore necem, gratias Deo immortales egit, quod se tanto dignam bono duxisset: ac decennem filiolum sublimè inter manus tollens, Christo victimam innocentem obtulit: mox ambæ quidquid vestium erat domi ornatissimum, velut ad festam diem celebrandam, properè induerunt. Justus Ucondonus, clarissimum patriæ, ac Japonensis Ecclesiæ decus, triumphans gaudio, amicis prolixè munera impertivit. Paulus Sacondonus, Guenifoini filius natu major, renunciatus a Taicosama paternæ dignitatis successor, ubi primum nostros neci addictos audivit, omnino cum iis decrevit mori, certosque homines Meacum & Ozacam dimisit, qui se de loco ac tempore supplicii admonendum curarent. Quia vero nullus aut licitor, aut magistratus, injicere manum filio Guenifoini ausus fuisset, ita vestem osque immutare laboravit, ut a nemine agnosceretur.

Cum hæc maximè ageret, ecce tibi minor ejus frater Constantinus Meacum venit. Christianos omnes videt expectatione mortis arreptos: gratulatus sibi, quòd tempori advenisset, opum, honorum, & fratris amantissimi, cujus mentem nesciebat, oblitus, conjicit se in tugurium nostris ædibus vicinum, ubi à nobis, & à morte, velut uno tantum gradu divideretur. Latère tamen diu non potuit: ingens ad eum subito fit Christianæ nobilitatis concursus. Omnes alter alterum suavissime amplexantes, relictis domibus, conjugibus, propinquis, & amicis, in angusta coæcrvati casa, diem noctemque in divinis laudibus, in cœlestis gloriæ spe ac meditatione consumebant. Mulieres in matronæ primariæ domum convenerunt, cum exquisitis singulæ vestibus, quibus ornatae apparerent, cum in crucem tollerentur.

Præibat exemplo ceteris regina Tangi, cincta nobilium puellarum choro, & primum subeundi martyrii signum intenta expectabat, ut cum illis continuo procurreret. Vir Princeps, haud ita pridem Christianorum additus gregi, cum timeret ne verum de se licitoribus non dicerent clientes sui & servi, qui eum unice salvum cupiebant, præconis voce pronuntiavit pœnas graves, si quis male dissimularet, ac præcepit, ut cum primum licitores conspicerentur, unusquisque proclamaret dominum suum Christianum esse, ac nomen ejus in proscriptorum tabulas referendum curaret. Alius cum pacata domi suæ cerneret omnia, veritus ne sua dignitate satellites deterriti ad se non auderent aspirare, ultro illos adiit, cumque ab iis exorasset nihil, ipse filiolum decennem manu trahens exivit ædi-

* 31. Decembr.
1596.

19.
Christianorum
Japonum pie-
tas, & cupiditas.
martyrii.

bus, cum conjuge filiolum natu minorem in sinu gestante, ut in locum supplicii progressus, mortem negatam extorqueret. Alius ex affinibus Taicosamae, trium regnorum dominus, accurrit ad Patres, unà cum illis Fidem suo sanguine confirmaturus. Christiani prapotentis ac divitis filius, procul Meaco accepit epistolam a patre, a quo locupletis domus ac multarum opum heres renunciabatur; quia (sic pater scribebat) ego, & fratres tui, imminentem quotidie necem opperimur, ad vitam Christi causa profundendam paratissimi. Adolecens parentis & fratrum sorte lætus, at mæstus suâ, per eundem tabellarium rescriptis, non æquam a patre factam esse partitionem, qui fratribus cœlum, sibi terram; illis gloriam obitæ pro Christo necis, sibi vitam in principis mortalis obsequio assignasset: quæreret alios enimvero heredes; se propediem Meaci adfuturum, vel comitem præclaræ necis; vel, si prævissent, æmulum & sequacem.

Non minus fortis & incluta fuit juvenis alterius pietas. Hunc miserè amabat mater, idolorum cultui perditè addicta: expavit illa scilicet, cum filii Christiani, quamvis absentis, periculum accepit. Magistratus & lictores adit; oratque ne illius nomen inter Christianos reponant: filium saniora cepisse consilia, & ad patrios ritus rediisse. Hoc ubique sedulo promulgat; vicinos ostiatim certiores facit; ac ne indicia ulla mendacii exstarent, Crucem in filii cubiculo repositam, imagines, & alia id genus pietatis Christianæ signa, lacerat, occultat, proterit. Adolecens amicis perculit rumor tam sinister: audit ipse; advolat quanta potuit maxima celeritate, lacrymarum vim inter eundem profundens, & anceps utrum lugeret impensam amissam occasionem martyrii, an desertoris impii notam injustam immerenti. Sed hæc non exstitit diuturna. Ubi primum venit Meacum, eandem impigrè domos concursans, viciniam & urbem brevi deducit.

Christiani complures in montibus degere soliti, cum primus Ecclesiæ vexata tumultus increpuit, omnes in ædem sacram coiere, viri, feminae, pueri; & sacramento publicè dicto sua Christo capita devoverunt: multi è natalibus sylvis ac montibus in apertos campos pagosque desfluere, ut licitoribus laborem investigandi demerent. Una erat inter illos, in summa ceteroqui concordia, dissensio, quinam primi scriberentur in ferali albo: unus metus, ne quis fortasse, si certus numerus definitus foret, excluderetur. Sed controversiam hanc diremit imperatoris edictum, solos Franciscanos, ut diximus, è Philippinis insulis advechos, necari jubens, cum ipsorum domesticis Japonibus. Dum Meaci releguntur ipsorum nomina, contigit ut in eum numerum unus minimè quaesitus irreperet, cujus in cœlo scriptum videlicet inter martyres nomen erat. Franciscanorum obsonator prodierat in urbem, cibos coempturus. Adest apparitor: singulos, qui undecim laici, cum Franciscanis quinque asservabantur, è codice ubi scripti erant nominatim, appellat, & ut quisque respondebat, licitori tradebatur in manum. Ubi ventum est ad Matthiam (sic obsonatorem vocabant) respondebat nemo: inclamatur semel iterumque frustra: audit forte Christianus prateriens, Matthias pariter dictus, & procurrens, Matthias, inquit, vocor; etsi alius ac ille quem quaritis; Christianus tamen sum, & Patrum similiter amicus: do me libens ac dedo. Nec plura; ceteris adjungitur: valuitque in eo vox illa, *Cecidit fors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim*.*

* *Act. I. 26.*

20.
Martyres aurium
parte multati:
ad ignominiam
circumvesti.
Martyrii causa.

Illuxerant Kalendæ Januariæ anni MDXCVII. Meacum adducti sunt qui Ozacæ capti fuerant, Franciscanus unus cum tribus è populo Japonibus, & Paulus Miki noster, cum Joanne de Goto & Jacobo Kisai, qui post paulò in Societatem, quam expetebant, admissi, religiosa vota ediderunt. Hi septem, cum aliis decem & septem Meaci captis, numerum quatuor & viginti explevere. Omnes III. Nonas Januar. revinctis post tergum manibus, protracti sunt in Meaci plateam, ubi abscissa singulis auriculæ sinistra pars: temperante Gibonoscio sententiam imperatoris, qui omnibus præcidi nasum & ambas aurículas voluerat. Collecta per neophytos aurium sacrarum præsegmina, & ad se delata P. Organtinus excepit venerans, cœlumque suspiciens, non sine lacrymis, Deus optime Maxime, inquit, istas nostræ Societatis in Japonia primitias lætus cape: hostibi flores recentis Ecclesiæ libentes dicamus; fac ut in uberrimos fructus aliquando succrescant.

crescant. Impositi deinde plaustris martyres per amplissimas & frequentissimas urbis vias circumducti fuere, qua nulla major apud Japones excogitari potest ignominia, nec nisi sceleratissimis larronibus irrogari solet. Præibat plaustris minister publicus, descriptam in ingenti tabula necis illorum causam, & dictam in eos à Principe sententiam præferens: *Quia isti huc è Philippinis, nomine legatorum profecti, legem Christianam à nobis prohibitam prædicarunt, ac templa adificarunt, nostris beneficiis abusi; supplicio illos affici jubemus, cum Japonibus, qui sacra ipsorum susceperunt. Itaque in crucem tollentur Nangazachii. Iterum eandem legem severè prohibeo, idque omnibus testatum volo. Qui secus faxit, cum tota familia plectetur. Die vigesima Luna undecimæ.*

Confluxerat innumerabilis hominum turba; pars in vicis ægrè conferta, pars è tectis pendens fenestrisque spectabat; cum ethnicis Christiani; peregrini cum civibus. Singulorum in vultu diversos animorum sensus legeres: communis erat omnium admiratio, reputantium illam tranquillitatem & alacritatem, quæ in martyrum ore toto emicabat. Eorum nonnulli, Japonicæ periti lingua, in primis Paulus noster, nec non P. Petrus Baptista, Franciscanæ turmæ ductor, è suis plaustris, ut lento propter circumfusam multitudinem agmine procedebant, concionabundi populum alloquebantur, & Christum oratione minimè suspecta prædicabant. Alii non minus eloquenti modestia, oculis humi dejectis, vel in cœlam defixis, intuentium laudibus & lacrymis ornabantur. Sed nulli jucundius præbuere spectaculum, quàm pueri tres, annos duodecim plus minus nati, qui Franciscanis rem divinam facientibus ministrare soliti, cum illis comprehensifuerant. Non exterriti circumstantis plebecula tumultu: non percussis cruore, qui ex auriculis decisis largè in humeros effluebat, elata voce recitabant placidissimè, quas docti erant, preces, tanquam si soli seorsum in templo constitissent. Præclaram martyrum sortem Christiani reliqui ambiebant; nec pauci precibus infimis, data etiam pecunia, conati sunt a lictoribus impetrare, ut reponerentur in eundem numerum, aut saltem martyrum plaustra conscenderent, & in partem ignominia, vel gloriæ potius ac triumphi, venire sinerentur.

Ita per urbem circumacti martyres conjiciuntur in carcerem. Desiliens è plastro Paulus Miki ruit in amplexum Franciscanorum, & gratias illis coram omnibus ingentes egit, quòd sibi per eos datus esset locus pro Christo in cruce moriendi. Hoc vero tanta lætitia delibutus, tam ex animo dicebat, ut admirationem Japonibus magnam moveret, qui se invicem respectantes exclamabant: Quod genus hoc autem hominum est, quæ tam inaudita lex è Latantur in suppliciis, opprobrio gloriantur, pro morte gratias agunt! Postero die, quinto Idus Januariæ, vilibus jumentis impositi, Ozacam primum, inde Sacaium deducti, quæ duæ civitates amplissimæ in itinere occurrebant, utrobique ad ludibrium traducti fuere. Abest Sacaium Nangazachium. multorum dierum iter, quod licet citius confici & facilius potuisset mari (nam utraque civitas imposita littori est) eos tamen terrâ devehi longo circuitu voluit Imperator, ut ignominia supplicii, ac terror latius spargeretur. Quocumque diverterent, præferebatur in summo hastili ferale carmen, modo recitatum, causam necis indictæ continens, & ante carceris fores, quando consistendum uspiam erat, desigebatur: ipse carcer duplici palorum versu, ductis etiam circum fossis munitus, diu noctuque servabatur vigili militum custodia, sed minime necessariâ, nisi forte ut arcerentur Christiani, vinculorum & mortis avidi. Certe duorum ex illis pia importunitati resisti non potuit. Eorum alter Petrus vocabatur, & a Patre Organtino submissus fuerat, opem, quoad posset, laturus nostris, atque adeo reliquis martyribus, in itineris molestissimi ærumnis: alter Franciscus nomine, Franciscanos ultro adjutabat: uterque flagrabat martyrii cupiditate; neque ulla tamen ejus consequendi spes affulgebat, martyrum numero jam constituto. Cum ultro citroque commearent inter felicem turbam, offensus libertate miles, stare illos jubet; an Christiani quoque sint sciscitatur. Affirmantibus confidenter, instat, & Siquidem ex eodem estis grege, sequimini. Simul manus post tergum religat ambobus. Sic additi ceteris incredibili voluptate, id unum verebantur ne quis præfectus urbium, ad quas acce-

* 1. Timot. 2.

accedebant, aut magistratus, re animadversa, vinculis solutos remitteret. Sed nimirum *cognovit Dominus qui sunt ejus**, nec refigi potest humano judicio, quod fixum est divino. Tarazava, Nangazachii gubernator, cui ab imperatore cura supplicii sumendi data, licet certis auctoribus rem omnem comperisset, adduci non potuit ut eos felici numero eximeret, satius esse affirmans ac sibi tutius, interficere quos cum reliquis in manum traditos accepisset, quam liberare quos nominatim scriptos non haberet.

2 I.
Martyrum iter.
Locus supplicii.
Cruces Japoni-
ce.

Duobus præter expectationem aucta sanctorum cohors Facatam pridie Kalendarum Februariarum tenuit, unde Nonis Februarum, quæ dies necesse illorum consecrata colitur, Nangazachium pervenit. Eo priusquam subirent, id unice optaverant, ut cœlesti reficerentur pane, quo fortiores in arenam descenderent: veriti scilicet ne facultas hæc Nangazachii non foret. Expetierat etiam Paulus Miki sacerdotem de Societate, cui confiteretur peccata, & conscientiam rationem redderet, quam exponere non poterat Patribus Franciscanis, Japonicè nondum satis scientibus. Itaque, annuente Fazamburo, adfuit cum Joanne Rodericio Franciscus Pazius, qui etiam Jacobum Kifai ac Joannem de Goto in Societatem admisit, quod illi mandatum dederat P. Petrus Gomez Provinciæ præpositus, & eorum religiosa vota excepit. Decreverat Fazamburus in eo urbis loco supplicium sumere de Christianis heroibus, in quo facinorosi promiscuè plecebantur. Intereessere Lustani, utque cruces defigerentur in colle, qui prope urbem imminabat mari, exorarunt, eo consilio ut ibi aliquando ædem sacram Regiæ Martyrum excitarent. Igitur in patente summi collis area constituta sunt ordine directo, cruces viginti sex, ternis quaternisque disjunctæ passibus. Id habent peculiare Japonum cruces, quod in infima stipitis parte appositum est transversum lignum, cui paululum divaricati pedes incumbant: rursus in mediam crucem inditum prominet exiguum tigillum, quod inter crucifixi summa crura insertum, velut inequitantem sustinet. Clavis manus pedesque non configunt, sed funibus, vel manicis pedicisque ferreis alligant; & collum circulo ferreo, ac medium sæpe corpus, cruci adstringunt. Id faciunt ne corpora exanguia facile decendant; sed tandem perstant in cruce, ad spectaculum proposita, donec frustatim putrescentia solvantur, ac defluant. Ubi reos hunc in modum applicuerunt funestæ trabi, & in paratam scrobem crux immissa stetit, lictor unus lanceam prælongam adigit a dextro latere in sinistram, & latam animæ cum sanguineo flumine prorumpenti viam facit: interdum lictor alter à sinistro latere in dextrum sævam cuspidem obliquat. Porro nuda in cruce corpora non tollunt; fas unicuique suam retinere vestem, imo quam lautissimam & ornatissimam asserre. Paratis hoc pacto crucibus processere sancti pugiles in arenam: victores ad triumphum produci crederes. Inter se complexi & gratulantes, veniam, si quid alter in alterum peccasset orantes, oscula suis crucibus incredibili gaudio fixerunt. Ludovicus, nondum annos duodecim egressus puer, ad minutam crucem, quæ ipsi pro modulo corporis fabricata erat, accurrens, in ea se totum distendit, in cœlum, in cœlum, clamitans. Alii psalmos, alii quod sua cuique suggererat pietas, alta & hilari voce concinebant; stupentibus ethnicis, & rogitante Fazamburo, quid hoc rei esset atque gaudii. Cui cum P. Pazius admirabilem Crucis Christi gloriam, & mortis tam felici de causa obita præmium explicaret, risit infelix, & *animalem hominem non percipere quæ sunt spiritus Dei**, ostendit.

* 1. Cor. 2.

§. VII.
MARTYRES JAPONES SOCIETATIS JESU.

COLLEM cingebat militum cohors spiculis armata & fistibus, ad vim arcendam, & submovendam plebem. Soli, concedente Fazamburo, in medium ad martyres confirmandos admissi Patres Pazius & Rodericius: ceteri è Societate, ac potissimum Episcopo Japonensi, graviter interdictum ne se in conspectum darent. Nulla fuit in lictoribus mora: statim ab iis in suam erectus quisque crucem constitit; obverso vultu ad urbem, ex qua prospectus in collem facilis patebat. Sex Franciscani P. Petrus Baptista, P. Martinus de Ascensione, Philippus à Jesu, Gonsalvus Garfia, P. Franciscus Blancus, & Franciscus a S. Michaeli, medium obtinebant locum. Stabant ab eorum latere sinistro Japones decem, quos inter quintam Jacobus Kifai sedem occupabat, sextam Paulus Miki, octavam Joannes

Joannes de Goto. Decem pariter à latere dextro cruce positæ, cum Japonibus totidem. Ubi carnifices lanceis in ictum subrectis propius accesserunt, Christianorum innumerabilis multitudo, quæ tota ex urbe proruperat, clamorem sustulit, sacra JESU & MARIÆ nomina, ut quisque feriebatur, ingeminans. Felices victimæ hastis momento confixæ victrices animas cœlo inferendas emiserunt. Sacri cruoris aspectu accensa Christianorum turba tenere se non potuit, quin medios inter gladios ac iustes, quibus miles dextra lavaque sæviebat, irumperet, ac sanguinem sudariis certatim exciperet. Ausi etiam aliqui deripere vestes, & lacerare; nec beatis corporibus temperatum fuisset, nisi repulso tandem populo, custodiam geminasset Fazamburus, propositâ centurionibus capitis pœnâ, si corpus aliquod desideratum esset.

Observatum fuit formam in corporibus exanimis angustiore solita & amœnorem effloruisse: cumque aliorum vulgo, qui agerentur in crucem, cadavera quarto post die putrescerent, & à corvis, qui sunt illic frequentiores, configerentur oculi, ac vorarentur; sacra pignora neque graviter oluerunt, neque a feris aut alitibus quidquam passa sunt injuriæ. Aliquorum sanguis post menses novem, liquidus, ac tabis expers, apparuit. Visâ sub noctem cœlitus accensæ faces locum obire supplicii, & alia ejus generis prodigia magnam venerationem, ac sacrum horrorem omnibus injecerunt. Sed nullum videtur mihi testimonium virtutis illorum & gloriæ splendidius, quam facer ille ardor, quo inflammati spectantium animi fuere ad Christianam Fidem & pietatem aut amplectendam, aut impensius colendam. Omnia certis testimoniis consignata Romam ad Urbanum VIII. Pontificem Maximum delata sunt, qui Beatis Martyribus solennes honores & cultum cœlitibus haberi solitum concessit anno MDCXXXVII. * Exiit deinde anno MDCXLVI. Romæ liber inscriptus *Fasciculus de Japonicis floribus suo adhuc madentibus sanguine*; Innocentio X. dedicatus, & Romanæ curiæ approbationibus ornatus, in quo elogia Sanctorum Pauli Miki, Joannis Soan, sive de Goto, & Jacobi Kifai legere est. Ex eo, aliisque nonnullis excerpta quædam singulorum propria breviter hic attexam.

S. Paulus Miki natus est in Japonia claro genere, anno MDLXIV. in regno Ava, seu Eva, quæ pars est insulæ Xicoci, maximè vergens ad Orientem. Ejus Pater Miki Fandaïdonus, vir bello strenuus, & imperatori Nobunangæ gratiosus in paucis, religionem Christianam profitebatur, ac filium Paulum, undecim annos natum, P. Organtino tradidit erudiendum in Seminario Anzuquiamensi. Eo postea destructo, cum universa urbe Anzuquiana, Paulus inchoata litterarum studia persecutus est primùm in Seminario Arimensi, sive, ut quidam scribunt, Ozacensi, quo tempore Societati se adjunxit anno ætatis vigesimo secundo *: deinde in collegio Amacufano, ubi Theologiæ dedit operam, & arma comparavit quibus patrias debellaret superstitiones. Hæc arma ut feliciter tractaret, adjuvabat ingenii solertia, & facultas dicendi non vulgaris, qua instructus, & ad sacras conciones adhibitus, plurimos è popularibus suis ab errore ad veritatem, a flagitiis ad virtutem, traduxit. Audiebatur ingenti plebis pariter ac nobilitatis concursu; eminebatque in dicentis vultu tantus intimæ sensus pietatis, humilitatis, ac modestiæ suavissime conditus, ut audientes accenderet, ac sibi Christoque conciliaret. Nec viva duntaxat voce rem Christianam ornabat ac tuebatur, sed scriptis etiam libris, quibus profligabat Bonzios, ac probos mirificè confirmabat. Nullus illi locus, tempus nullum videbatur alienum, aut vacuum abibat a dicendo docendoque. Incidit aliquando in ethnicum facinorosum, quem licetorum manus ad meritam necem rapiebat. Irrupit in medios satellites, & hominem brevi oratione sic permovit, ut salutari doctrina, quoad res & locus ferebat, imbutum vitali tinxerit aqua, & breve supplicium immortalis triumpho mutare docuerit. Per dies illos sex & viginti, quibus Meaco Nangazachium ductus sacer martyrum grex fuit, nullum Christi prædicandi finem fecit, in via, in diversoriis, in ergastulis, in ipsa cruce. Idcirco, inquebat, mors irrogata nobis est, quia Christianam legem prædicavimus; causam hanc minime falsam esse ostendamus. Mirabantur custodes ac milites, nec poterant resistere sapientiæ, & Spiritui qui lo-

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

Gggg

que-

* Apostolicum diploma Bullandus recitat ad 17. Feb. pag. 741.

22.
S. Paulus Miki.

* Anno 1586.

* AG. VI. 10.

quebatur*. Alii nunquam sic locutum esse hominem asserbant. Ita sex improborum poenitentia & baptismo carcerem Ozacensem veluti consecravit. Gubernator oppidi, praeter quod martyrum felix turba iter faciebat, illum indignis & crudelibus modis acceperat. Petiit Paulus copiam brevis cum eo colloqui. Paucis verbis hominem ab insita feritate ad humanitatem; a falsorum Numinum cultu (quod portenti simile visum omnibus est) convertit ad Fidem, ac postmodum baptizavit. Fatebatur ipse Paulus nunquam se decem totis, ac pluribus etiam annis, quibus sacrum concionandi ministerium obierat, uberiores divini verbi fructus, quam in hoc itinere, collegisse.

At Bonzii disrumpebantur, & in Taicosamam fremebant, qui hominem istum ad spectaculum & pompam, per Japoniae dimidiam partem, circumveheret: hoc vero non esse Christianam extirpare legem, sed disseminare. Demum in crucem sublatu, ex ea tanquam editiore cathedra, infinitam hominum multitudinem circumspectans, quanta potuit maxima voce, summo omnium silentio, ita peroravit: Adeste animis, quaeso, cives mei: non advena sum, aut ignotus: ortus in Iaponia, vobiscum educatus, Societatis Iesu religiosus, agor in crucem, quia Christianam legem promulgavi. Gratulor mihi hoc nomine, ac laetus idcirco libensque morior. Sed vos, per Deum immortalem, videte, obsecro, quid agatis. Non eo loci nunc sum, ut fallere vos ac mentiri velim. Denuncio igitur omnibus, ac profiteor, nullam esse aliam salutis aeternae viam, quam Christi fidem & religionem. Et quoniam eadem religio praecipit ut inimicis venia concedatur, ac beneficiis injuriae compensentur, illis ignosco qui necem mihi consciverunt: eosque mecum, ac Iapones universos, salvos aeternum ac beatos percipio. Postquam hac mira libertate ac fiducia, e triumphali crucis pulpito disseruit, orationem & oculos hinc inde ad gloriae mortisque consortes convertens, sic eisdem illo, quo totus ardebat, igne inflammare cepit, ut excubiae longius remota, statione paulisper omitta, propius aures admoverint, & effata morientis plebs Christiana descripserit; quibus ad excitandos animos posthac uteretur.

Obiit annos tres ac triginta natus, dulce ac decorum sibi existimans quod totidem, quot ipse Christus, annos numeraret, quod in cruce, quod lancea, confixus, quod a suis, itidem ut ille, popularibus neci deditus occumberet. Nondum tamen erat initiatus sacerdotio, quo suos impertire Societas tardius, in longinquis praesertim oris Christo recens adjunctis, consuevit. Cum in omni vita humilitatem coluerat, tum eandem in primis extremo illo tempore praese tulit, obsequia Christianorum, qui se ad illius pedes abiciebant venerabundi, recusans, ac Deum ut potius pro se deprecarentur admonens; Patrum Franciscanorum commodis ubique ac dignitati serviens; ethnicorum vero inclementiam, carnificum immanitatem, non animo minus lato, quam ore, ferens; idque maxime cum ad crucem alligaretur. Tunc enim tortor imposito pede nitens, alvumque illi, ut arctius stringeretur, perprimens, rogatus est ab uno ex iis qui aderant Patribus, ut humanitatis meminisset: cui Paulus, Sine, inquit, mi Pater; quod videbitur, faciat: gratum est, & praecclare mecum agit.

S. Ioannes de Goto nomen hoc traxerat ab insula una è Iaponicis, quae Gorus vulgo appellatur, & prima occurrit navigantibus ex India in Iaponiam, in qua genitus anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo: nomen paternum Soan habuit. A parentibus educatus ad pietatem, simul ac per aetatem potuit, in schola Patrum Societatis totam Christianae Fidei ac disciplinae rationem ea facilitate, ac dexteritate percepit, ut idoneus fuerit iudicatus, qui alios eandem perdoceret: quo munere qui tum fungebantur, Dogici, sive Catechista, appellabantur. Eos indolis bonitate, studio virtutis, ac sagacitate ingenii, eminere inter ceteros oportebat. Propriam, ac talarem, gerebant vestem; decus è capite summo crinibus circumerat, quem Iapones in vertice raso servant, & quem abiecisse, illorum iudicio, est nuncium profanis curis ac seculo remisisse. Idem Dogici certis caerimoniis in aedem nostram, & confessum Christianorum producti a parentibus, hanc docendi provinciam & ministerium capiebant, ut eo pacto major illis auctoritas accederet. Condiscebant etiam argumenta, quibus Bonziorum fabulas

23.
S. Joannes de
Goto.

fabulas cõarguerent. Ita probati, & scientia virtutibusque aucti, ad concionatorum gradum promovebantur, eorumque complures nomen deinde Societati dabant. Hęc igitur munere ornatus Ioannes Soan, sive de Goto, missus est Ozacam, ut Patrem Morejonium adjuvaret, ac neophytos erudiret. Dum in hoc opus sedulo ac naviter incumbit, excubiæ nostram domum obvallarunt. Poterat se periculo ac neci subducere, sed Societatis, quam dudum in votis habebat, fortunam, licet gravem & asperam, subire maluit. Ergo convasata celeriter, & in tuto reposita sacrarii nostri, cuius gerebat curam, supellectile, ultro suum nomen in proscriptionis tabulam referendum edidit, ac statim sequestro & interprete Paulo Miki, flagitavit à Patre Organtino ut in Ordinem nostrum tandem cooptaretur: idque paucis diebus interpositis est consecutus. Ut eo beneficio digniorem se præberet, quidquid Meaci, in probrosa illa transvectione, quidquid itinere molestiarum & ærumnarum tolerandum fuit, latus alacerque subiit. Ut sibi paratam conspexit crucem, exiit gaudio. Hic illi occurrit pater suus, non perfusus lacrymis, non dolore fractus; sed alacritate filii mirifice delectatus. Quem Ioannes complexus monuit ut saluti æternæ, quod fecerat hætenus, omnia posthabere pergeret: cui parens; Vide tu quoque, fili, ut forti constantique animo sis; pro Christo, pro Fide, moreris: nuncium hunc matri tuæ perferam libens, neque alia morte ambo defungi, si liceat, velimus. Collaudavit patrem Ioannes, & coronam B. Virginis, ac nescio quid aliud munusculi ferendum matri dedit. Perstitit in eodem loco generosus pater, nec nisi sanguine filii conspersus abscessit. Sublatus in patibulum Ioannes quam promiserat parenti constantiam præstitit; nec alios, qui hinc inde pendebant, martyres ad eandem hortari desit prius, quam transfixo pectore, sacra IESU & MARIÆ nomina iterans, ad cœlestem coronam, annos undeviginti natus, evolavit.

S. Iacobus, sive Didacus, Kifai, annos confecerat quatuor & sexaginta, cum ad eandem gloriam felici nece pervenit. Oriundus ex insula Niphone, Japonicarum maxima, filium è conjugè Christiana susceperat, quam ad cultum idolorum impiè reversam, & in errore pertinacem, dimisit factò legitimè divortio: ipse conjugii vinculis expeditus totum se Deo ac Societati dedit. Domum igitur nostram concessit, ubi rem familiarem curabat, ad januam aderat, subeuntes admittebat, interdum etiam rudimenta doctrinæ Christianæ baptismo lustrandis explicabat. Mytheria Christi patientis recolebat frequens, neque ullum intermittebat diem, quin illa grato & memori animo tractaret. Eam ob rem libellum sibi confecerat, in quo eadem pietis eleganter vernaculis characteribus, quos effingebat scitissimè, descripserat singillatim, ut oculis etiam obversarentur. Ex ea meditatione hauserat miram patiendi pro Christo & moriendi stim, quam ut expleret, sanguinem & vitam profudit. Ex eodem fonte fluxerat eximia humilitas, cum diceret se indignum gloria martyrii, & consortio Sanctorum, indignum Societate, in quam cum S. Joanne de Goto, votis editis, adscitus paulo ante felicem obitum fuit. Quare adduci nunquam potuit ut sudarium, quod suspensum gerebat è cingulo cum duceretur ad necem, daret postulantibus servandum ad memoriam & venerationem.

Queri à nonnullis hic video quem in Societate nostra gradum & locum tres illi heroes obtinuerint. Ex iis quæ dicta sunt hætenus patère arbitror S. Paulum Miki, atque adeo S. Joannem de Goto, nequaquam inter eos debere numerari, qui admittuntur in Societatem ad ministeria domestica, & *Coadjutores temporales* appellantur: quique ad studium litterarum, aut sacros Ordines non sunt aliquando promovendi. At in eorundem Coadjutorum numero reponendum videri S. Iacobum Kifai; quod anteacta in officio vita, ætas provectior, & obita jam domi nostræ ministeria persuadent. Paulum autem Miki apprimè litteris Latinis & sacris instructum extitisse constat; Joannem quoque iisdem imbutum, & postea, ut ætas atque ingenium erat, plenius excolendum fuisse apparet. Quod si Frater Paulus Miki nuncupatus interdum reperitur, inde est, quod sacerdotio nondum initiatus esset. Hanc Societatis mentem esse declaravit Societatis Præpositus Generalis Mutius Vitellescus anno MDCXXVII. Cum enim sacerdos è

Gggg 2

nostris

24.
S. Iacobus Kifai.

nostris Romæ in cohortatione domestica, tres illos beatos martyres inter adjutores rei domesticæ recensisset; octavo post die, eodem in loco Assisens Italiae verba fecit, venitque nomine Præpositi Generalis, ne quis Coadiutores illos temporales diceret, vel scriberet.

25.

Refelluntur
quædam per id
tempus jactata
in Patres Societatis.

* *Suprà. n. 17.*

* *P. Emmanuel à
Matre Dei.*

* *Diego Garzia
de Pedraza.*

* *Bartoli Lib. II.
pag. 425. 426. &
seq.*

26.

Mors P. Ludovici Froez.

* *II. Corinth. II.
Parte II. Lib.
VII. VIII. Part.
III. Lib. I. & V.*

* *Suprà. n. 6.*

Videbatur hæc Sanctorum Martyrum virtus & gloria si non laudem à Societatis obtrectatoribus, certe silentium obtinere merito debuisset; ne id quidem impetravit. Per Asiam & Europam, ipsamque adeo Americam disseminatum ab iis fuit, Episcopum Japonensis Ecclesiæ, cumque illo Societatis Patres Taicosamam adiisse turmatim, idque precibus, donis, calumniis, tentasse, ut Franciscanam familiam suis regnis eiceret: accusatos ab iisdem onerariæ Sancti Philippi vectores*, quasi eo consilio vela fecissent in Japoniam, ut illam seditionibus ac intestino bello concuterent. Hæc à Philippinis in Orbem usque ultimum delata, & pervulgata aures tam credulas ubique nata sunt, ut in templis etiam populo recitarentur, proponerentur in tabellis depicta, missis in omnem partem litteris differrentur. Larva mendaciorum detracta primum fuit in Mexicano portu Acapulco, ubi dum sequenti anno conciones haberet sacerdos ex Ordine sacro Divi Augustini*, & hac invidia flagrare Societatem cereret, suas putavit esse partes ad ipsius famæ cubile investigando pervenire. Castellanos igitur, Lusitanos, Japonenses, qui plurimi hunc in portum conveniunt, interrogat; scrutatur omnia & expendit: comperta demum falsitate, calumniam edito scripto confutavit, ac docuit nullum religiosæ caritatis officium a Patribus Societatis erga Franciscanos desideratum fuisse. Accessit alius suffragator testisque veritatis, unus è vectoribus primariis Philippinæ navis*, qui non dubitavit affirmare perituras omnino tristes luctuosi naufragii reliquias fuisse, nisi opem destitutus & spoliatus Japonii Societatis Patres attulissent. Hoc ipsum jurati confirmarunt alii octoginta, qui ejusdem calamitatis pars magna plerique fuerant, nautæ, militum ductores, religiosi viri: quorum consentientibus suffragiis comperta denique veritas, & ad regium in Hispaniam delata consilium, legitimis tabulis anno MDXCIX. Madridi consignata fuit. Longè maximam hac in causa vim habere merito debet testimonium P. Martini ab Ascensione, unius è viginti sex martyribus, qui cum recens venisset in Japoniam, nosque, nisi ex obtrectatorum sermone, cognitos non haberet, epistolam sanè asperam de Japoniis Patribus ad amicum Lusitanum scripserat. Illis deinde per otium & coram perspectis, nihil sibi faciendum prius putavit, quam ut quæ per se cognoverat amico renunciaret, ac priorem suam epistolam flammis tradi juberet*. Cum vero duceretur ad crucem, veniam ab iisdem & pacem multo cum fletu postulavit. Norunt sancti mutare sententiam, & dicta perperam aut facta revocare; quæ tumentur ac malè defendunt qui sanctorum errata imitati, ab eorum humilitate & caritate longè absunt.

Sanctis martyribus adjungimus eorum vitæ ac virtutum non modo scriptorem, sed etiam æmulum ac testem, Patrem Ludovicum Froez, qui per annos quatuor & triginta versatus inter Iapones, ab iis exilio & proscriptione multatus, variisque affectus incommodis, vitæ cursum ibidem feliciter absolvit eodem anno MDXCVII. Natus in Lusitania, Societatem ingressus anno MDXLVIII. solvit in Indiam cum P. Gaspare Barzæo, & Goæ aliquantisper demoratus, Japoniam tenuit anno MDLXIII. ubi quàm acerba perpeffus fuerit, dum jactatam inter Bonziorum furores & intestina bella religionem tutatur, in fame & siti, in frigore & nuditate, per infamiam & bonam famam*, explicant Societatis annales suis locis*. Ærumnis annisque debilitatum morbus gravis diu tenuit domus, ubi dolores nullo remedio, nulla medentium cura levatos, sola patientia mitigatos, produxit ad mensem usque Julium anni MDXCVII. quo servi strenui ac fidelis præmium à Domino, cujus in Societate per annos undequinquaginta bonam operam navaverat, consecutus merito creditur.

Cum cereret Taicosama tot martyrum sanguine non modo non restinctam in Christianis martyrii cupiditatem, sed etiam vehementius accensam, retulit se ad pristina Coreani belli consilia, ut in hanc peninsulam, quod animo pridem agitabat*, Christianos omnes & peregrina sacra transportaret; ipsamque Coream,

&

& partem Sinenſis Imperii, ſi faveret bello fortuna, invaderet. Sic inſana cupiditas gloriæ ſuadebat. Pacem igitur cum Coreanis ante ſex annos compositam, abruptit, violatas ab iis ejus leges cauſatus. Scribit ingentem exercitum, cohortes expeditas in Coream tranſmittit *. At, ne quid à relictis in Japonia Chriſti

* *Martio annæ 1597.*

cultoribus oriretur domeſtici tumultus, eorum doctores, paucis admodum exceptis, ne Luſitani ſacerdotibus deſtituti commercium aliò transferrent, Nangazachium convenire juſſit, ut inde, cum primùm facultas navigandi foret, in Indias procul, Europamve, demigrarent. Franciſcanos (præter unum Hieronymum à Jeſu, qui occultatus Iaponica veſte manſit) Macaumi deportavit Rodericus Mendez Figueredus, onerariæ Luſitanæ magiſter. Noſtris deliberatum erat Iaponiam non deſerere: nihilominus ut imperatori mos aliquo pacto geri videretur, dimiſſi fuere qui minime omnium latere poterant, ac præſertim P. Petrus Martinez Epicoſopus Iaponenſis. Ille, pro ea quam gerebat Eccleſiæ ſuæ cura, profeſſus eſt in Indiam ad Proregem, ut cum ipſo rationem iniret ſedandæ procellæ, ac Taicoſamæ placandi. In viam ſe dedit ſub finem anni MDXCVII. Iam in conſpectum Malacæ venerat, cum febrî correptus interiit. Cadaver Malacam delatum, & in templo Societatis conditum. Luſitanus erat, ac Societatem ingreſſus Combricæ an. MDLVI. ſacram ſcientiam non ſolum docuerat in ſcholis, ſed etiam in templis, tam ſecunda omnium approbatione, ut illum Sebaſtianus Luſitanæ Rex ſibi a ſacris concionibus eſſe voluerit. Hunc in Africam ſecutus *, & poſt

* *Anno 1578.*

infelicem illam pugnam captus à Mauris, duriffimam ſervitutem anno toto per-tulerat. Reverſus in Luſitaniam, annis quatuor in ea tranſactis ſuſcepit longam & difficilem navigationem ad Indos. Fracta navi non procul à Bonæ Spei promontorio, Goam demum ſolpes attingit XII. Kal. Septembr. anni MDLXXXVI. Ibi exacto biennio, Indicæ provinciæ, ac poſtea Iaponenſis Eccleſiæ clavum accepit. Nangazachium Idib. Sextil. anni MDXCVI. appulit, ac domi Societatis eodem planè, quo ceteri Patres, modo, parcè duriterque vixit, nihil à reliquis niſi majori humilitatis, paupertatis, ceterarumque religioſæ vitæ virtutum ſtudio, diſcrepans. In ea primùm urbe quatuor Chriſtianorum millia ſacro Chriſmate confirmavit: inde Arimam progreſſus idem Sacramentum Seminarii alumnis impertivit: mox Ozacam veniens, cœleſti pariter oleo athletas Chriſti Paulum Miki, Ioannem de Goto, & Iacobum Kiſai ad certamen, quod illis parabatur, fortiter ſubeundum, inuixit. Adeuntem excepit imperator humanitate ſumma, ſed minime, ut explicuimus, diuturna. Flagrante dira infeſtatione Chriſtiani nominis, animos ſuis ovibus Apoſtolicus paſtor verbis & exemplis addidit, omnem impigre advolans partem, ut firmaret ſtantes, lapſos attolleret, pugnantes excitaret.

NON ſine Numinis beneficio contigit ut eodem anno MDXCVIII. in Iaponiam ex India cum P. Alexandro Valignano & novem Sociis, accederet P. Ludovicus Cerqueira, adjutor P. Petro Martinez jam ante annos quatuor designatus, qui ſtatim in ejus locum laboresque ſucceſſit. Amiſſa ſpe, in quam adducti fuerant Patres Societatis, placandi per Indiæ Proregem & Iaponiæ Epicoſpum, Taicoſamæ, cujus immanitas in dies acerbior nullam reſtituendæ meliorem in ſtatum religionis facultatem dabat; Seminarium Arimenſe deſeruerunt. Ex eo dimiſſi, ſummo utrinque mærore, centum adoleſcentes, ſos Iaponicæ nobilitatis: pars redditi ſuis parentibus, pars in ades Chriſtianorum inſignium deducti. Sexaginta in remotam a portu & civitate domum, ubi litterarum ſtudia doceri pergerent, ſe abdidit. Ocluſum pariter collegium Amacuſanum. Plerique Sociorum relicto Nangazachio, ſumptoque Iaponum veſtitu, alii aliò diverterunt. Tunc in Iaponia centum & quadraginta verſabantur. Duodecim in Arimenſi regno ſubfederunt; octo in inſulis Amacuſanis; quatuor in Bungenſi regno; totidem in Firan-denſi, & in inſula Goto; alii longius progreſſi ſunt; nonnulli tranſmiſere in Coream, militibus illic openſaruti. Organtinus Meaci ſubſtitit, ut pridem, impune, cum aliquot Sociis. Rumor iaterim ab aula manavit Taicoſamam in Ximo brevi adfuturum, ut exercitui Coream invaſuro vires animoſque præſens adderet. Quo nuncio percuſus Nangazachii, quæ primaria Ximi civitas, gubernator ſacras

ades

S. VIII.

P. LUDOVICUS
CERQUEIRA JA-
PONIE EPISCO-
PUS P. PETRO
MARTINEZ SUC-
CEDIT.

ædes Societatis in hac & vicinis insulis diruere festinavit. Amplius centum & triginta sunt everſæ. Nec nihil tamen in his angustiis proficiebatur. In eodem Ximo, ſalutis fonte luſtrati ſunt Japones mille admodum & trecenti: Coreanos mille, bello captos, Chriſtiana religio ſuſcepta in veram libertatem aſſeruit. Dynaſtæ complures ac reguli, ſilentio neophytorum, latebris, & moderatione utcumque mitigati, ſatis imperatori faciebant, dum ipſi renuntiarent ejus ediſtis ubique morem geri: cum repente Franciſcani duo è Philippinis in Japoniam acceſſerunt. Statim fuere detecti. Unus neſcio quo pacto elapſus eſt fugâ; alterum pador ſeteptis ergaſtuli & inedia brevi confeſſent, niſi Provincialis Societatis neceſſaria illi ſubſidia per amicos ſubmiſiſſet. Erant omnes in metu ne quâ rumor hic ad imperatorem permaneret; quamvis enim oratus multa prece per Japonum proceres Chriſtianos Nangazachii gubernator eum certiore non feciſſet, latere tamen diu res tanta non poterat, neque magiſtratus eam omnino celare auſus fuiſſet. Actum igitur de Japonica videbatur Eccleſia. Conſtabat enim imperatorem, cognita re, in omnes Chriſtianos barbaræ crudelitatis exempla editurum; niſi Deus, penes quem ſunt omnium arbitria regnorum, & regnantum vitæ, populum ſuum reſpexiſſet.

27.
Mors Taicoſama. Civile bellum.

Taicoſama in morbum incidit exeunte Junio anni MDXCVIII. qui tamen minimè periculofus diceretur à medicis, retardavit nihilominus provinciarum præfectos, quominus eum de religioſorum adventu in Japoniam admonerent. Sed ingraveſcens febris majorem opinione vim mali oſtendit, jacuitque Nonis Sextilibus, viribus ita defectus, ut ejus ſalus deplorata cenſeretur. Spiritum nihilominus ac vocem paulatim recepit, & Gieaſum, ſeu Daiſum, inter Japoniæ regulos facile principem opibus, genere, ſcientia rei militaris; & unum qui poſſet imperare ſi vellet, evocans in frequenti procerum corona, Mortem, inquit, me toties media in acie laceſſitam non expaveſco: ſatis patriæ vixi; ſatis vixiſſe me gloriæ arbitrabor, ſi filium ſucceſſorem & imperii & paternæ virtutis habuerō. Sed puer ſexennis regendo par imperio non eſt, qui regere ſe nondum poſteſt. Opus illi alter eſt parens, cujus amore, conſiliis, & fide regatur, ac ſentiat non amiſſum ſibi patrem, ſed mutatum. Talem te credidi, talem coram his omnibus eligo, filio meo tutorem, amicum, patrem. Utque tuum hunc eſſe jam ſcias, nec ſolum patris nomen, ſed animum induas, filiam tuam ipſi jam nunc uxorem deſpondeo. Gieaſus inexpectata percuſus oratione, poſtquam paulum obtulit quaſi obrutus magnitudine beneficii, gratias ingentes egit, ac Superos omnes conteſtatus, promiſit datum ſe operam ut expectationem Taicoſamæ non falleret, ſequè ita Japoniam adminiſtraturum, ut eam auctiorem, ſi poſſet, Fideyoro reſtitueret. Non erat Taicoſama imperandi tam rudis, aut adeo ſuimet oblitus, qui filium Nobunangæ debito imperio ſpoliaſſet, ut idem filio ſuo non timeret; neſciretque perrarò accidere ut quis imperium reddere alteri malit, quam ſibi retinere. Itaque novem Japoniæ gubernatores Gieaſo adjunxit, profeſſus id ſe facere oneris ejus ſublevandi cauſa, non quod ipſius fides in dubium ſibi veniret. Omnes inter ſe variis affinitatibus devinxit. Mox pacem cum Coreanis & Siniſ componi, exercitum in Japoniam revocari, gravia quædam tributa populo remitti juſſit. Omnibus compoſitis, quæ ad pacem & concordiam faciendam pertinere judicabat, cum eripi ſibi mortalem vitam cerneret, de immortalitate cogitavit; & qui homo jam nullus erat, Deus eſſe, atque inter patrios reponi Deos voluit. Nemo exiſtitit qui non libentius Deum hunc mortuum, quam vivum hominem, coleret. Riſere Chriſtiani fungum Numinis, & ex illo uno reliquos Japonum Deos æſtimarunt. Ad morientem admiſſus P. Ioannes Rodericus ſaniora Japonico Pharaoni conſilia nequicquam ſubjecit. Eundem parabat alloqui Pater Alexander Valignanus, reverſus nuper ex India, quò ejus munera Indiæ Proregi detulerat. Adeundi poteſtas nulla fuit. Secreto conclavi abditus, nullique præterquam medicis & amicis interioribus aſpectabilis, ſeras at juſtas ſcelerum & Chriſtiani ſanguinis, quem primus fuderat, pœnas dedit XVII. Kal. Octob. cum annos quatuor & ſexaginta vivendo expleviſſet.

Quamvis Eccleſia Japonica Taicoſamæ interitu paulum reſpiraret, tamen metu

metu gravissimo non vacabat, ob intestinos, qui jam gliscebant, tumultus. Quis enim, inter multos paresque regni potentissimi gubernatores, diuturnam stare posse concordiam speraret? Sanè illis principio certum erat quietem Christianis & otium impertiri, quos dignitate, opibus, numero florentes; ac, si movere bellum vellent, superiores fore intelligebant. Itaque Patrem Valignanum magno verborum honore prosecuti, promiserunt se religionis & Societatis incolumitati, quantum ferrent tempora, consulturos: cum tamen edicta Taicosamæ antiquare non possent, hortati sunt ut quiesceret tantisper, ac lucem fugeret, donec liberior solita exercendi munia facultas daretur. Non contentus eo Gieafus, qui Daifusamæ postea nomen cum summa potestate usurpavit, tunc administer imperii primarius, ut partibus suis Christi cultores adjungeret, vetuit ne præfectus Nangazachii molestiam ipsis, aut Societati exhiberet. His freti Patres anno MDXCIX. suas Arimæ & Omuræ domos receperunt; collegere pariter, quos nupera tempestas dissipaverat, Seminariorum alumnos. Revocati Meacum sacerdotes primo aditu cives quadringentos in ditionem Christi redegerunt; ac multo plures in vicinis regnis. Nusquam uberior messis, quam in Ximo, ubi reduces è Coreano bello, post compositam pacem, milites Christiani, expertam in maximis periculis Dei benignitatem ac tutelam prædicare non cessabant, & omnium animos studio religionis accendere; suffragantibus eorum pietati Ioanne Arimæ; Sancio Omuræ; Augustino Fingi, Regibus: cujus postremi regni dimidia pars regno Christi accessit. Nulli eorum de studio religionis propagandæ concedebat Rex Mino, Imperatoris Nobunangæ nepos, annorum viginti juvenis, & magnæ Christianæ rei spes.

Tot inter triumphos religionis tacitus animos piorum angebat metus, tum propter leges Taicosamæ nondum abrogatas, tum ob coortam similitudinem inter Gibonoscium & Gieafum, quæ in apertum erumpens bellum tristissimo incendio Iaponiam paulo post involvit. Nobilitas, alterutrius amplexa partes, magnos sibi confavit exercitus, dum suos quisque amicos & clientes ad arma vocat. Ducenta militum millia Fuximum, Ozacamque, momento compleverunt: suam domum singuli cives, tanquam castra, positis excubiis custodiebant, belli signa expectantes. Illud Gieafus, numero & robore virorum pollens, extulit; Ozacensem arcem, ubi Taicosamæ filiolus servabatur, occupat; ac tristem Gibonoscio mittit nuncium, ut arma ponat, alvumque sibi ferro secet. Ille Fuximum aufugiens, hærentem tergo Gieafum, & oppidum excindere parantem, procerum deprecatione lenivit. In eas pacis leges ambo convenere, ut Gibonoscius imperii administratione penitus deposita, suum in regnum se reciperet. Interim Nangazachii gubernator, Gibonoscii partes secutus, flagrante bello, in Christianos & Societatis Patres favere; illorum claudere sacram ædem, minas & supplicia intentare cœperat: sed hunc victor Gieafus, à P. Valignano admonitus, repressit.

Eandem belli occasionem captavit Fuinus, Firandi rex, ut privata ultionis cupiditatem expleret. Obierat ejus parens, ethnicus ferocissimus: exequias insigni pompa celebrari jusserat, ac fieri preces omnibus in templis. Personabant Bonziorum fana insanis vocibus, tam inutilibus mortuo, quam avaræ genti quæstuosus. Nefas duxerunt neophyti fundere preces pro impio Deorum inanum cultore, cujus conclamatam salutem sempiternam certò sciebant. Invitati jussique non semel, spreto Regis imperio riserunt fufiles carimonias, neque funus prece, aut præsentia sua cohonestarunt. Rex incensus ira edixit ut ad gentilia redirent sacra, deserto Christo. Omnes una voce renunciarunt sibi deliberatum esse patriam potius quam Christum relinquere; ita se in Regis fide & potestate mansuros, si datam Deo fidem violare ipsos non cogeret: susceptam ab annis quinquaginta religionem ad extremum usque spiritum servaturos. Conterritis ista denunciatione Rex professus est sibi satis fore, si Iaponum sacra ore tenus & externa specie colerent. Consulti a Christianis Patres; a Rege ipso ut assentirentur invitati promissis, minis ac terroribus impulsis, responderunt nefas esse in hæc jurare verba. Dividi non posse religionis officia, ut pars falso, pars vero Numini tribuatur; & huic animus, illi corpus, ac species externa serviat. His auditis, Christiani fu-

gam

28.
Firandi Rex
Christianos ve-
xat. Illorum
constantia: pru-
dentia Socio-
rum.

gam agitarunt, & paucis diebus interjectis, nocte intempesta, paratas occultè naves conscendit innumerabilis multitudo, Principes viri ac femina; promiscua plebs cum liberis & conjugibus: ac Nangazachium versus voluntarium in exilium vela fecit. Sed cum Taicosamæ lege cautum esset, ne quis subiectus aut cliens, invito Rege vel domino, solum verteret; & ad eos restituendos teneretur ejus regionis dynastes, in quam secessissent: nemo reperiebatur Nangazachii, qui turbam inopem, rebus omnibus destitutam, alere vel excipere recto sustineret. Ipse Terazava, urbis gubernator, & Firandensis reguli consanguineus, illis aqua & igni per præconem interdixit. Nihilominus Ludovicus Cerqueira, Episcopus Japonensis, Valignanus, ac ceteri Patres Societatis, quamcumque gravissimi periculi aleam sibi duxere subeundam, ne tot Christi confessores egregii perirent. Ergo alios in Lusitanorum ædes conjecerunt: alios in quosdam pagos diviserunt, obnoxios regi Omuræ Christiano; aliis casas ædificarunt & mapalia, corrogarunt stipem, & cibaria comportarunt.

Fuinus contemptum se ac delusum fremens, suas ac Terazava copias in Patres, & fugitivorum agmen, immittere decrevit, omnesque sine discrimine militi barbaro concidendos objicere. Christiani agminis primores, nobilitate, animo, scientia rei bellicæ præstantes, arma, vallum, & munimenta jam parabant. Moriemur, inquebant, pro religione, ut Christiani; at in acie, ut viri. Vix alias gravior incescit Patres sollicitudo. Videbant, si dimicaretur, non solum illos, ut numero impares, ad unum esse perituros; verum etiam ipsorum uxoribus, liberis, consanguineis & amicis idem exitum imminere. Deinde vero Fuinus ac Terazava erant conjunctissimi cum Geaso, penes quem summa rerum jam potestas erat. Quid aliud ab eo videbatur expectandum, nisi certissima pernicies religionis, tanquam perduellis sectæ, quæ subditis in Principes arma ministraret? Confestim igitur ad Hieronymum regii sanguinis Principem, ejusque filium Thomam, ceterorum præcipuos duces, procurrunt, & Quo vos inconsulta pietas rapit? exclamant. Ruitis præcipites in necem, neque martyrii tamen gloriam, quæ necis una vobis causa mercesque debet esse, referetis. Patiendo illa quæritur, non pugnando. Deinde vero perire soli non potestis: stabit vobiscum aut cadet magna Japoniæ pars. Quod si tamen mori deliberatum est, agite sanè, pulcræ neci capita libera & inermes manus objicite; non hæc ignavia, sed vera virtus & fortitudo est. Errabant illi non pertinacia, sed ignoratione veritatis; quam ubi perspexere, continuo abjectis armis, rosaria manibus præferentes, sacris reliquiis è collo suspensis obviam militibus processerunt. Ecce autem, antequam innotuisset quid consilii, Patribus auctoribus, cepissent, adfuit a Rege centurio, pacem & veniam ferens, certis legibus propositis; ac potissimum religione, quod volebant unum, salva: de quibus læti omnes consenserunt. Metuebat Rex virorum fortissimorum expertas tot bellis vires, qui victoriam de se haud incurtam daturi essent. Terrebat illum etiam regni sui vastitas & solitudo, nam plurimi jam auferant, nihil è fortunis omnibus asportantes, nisi vitam & Fidem. Reliqui undique in omnem gloriosæ fugæ occasionem imminabant. Ad hæc ejus filius uxorem habebat apprimè Christianam, eamque ut repudiaret, quamvis jubente patre, adduci non poterat: neque ipsa vicissim extorqueri sibi susceptam religionem aut mariti blanditiis, aut soceri feritate, patiebatur. Denique Geaso favente Patribus & Christianis, tutum sibi esse non putavit eos insectari. Qui metus alios etiam Reges quiescere cogebat.

29.

Patres religionem valde propagant. Arima Regina baptizatur.

Pacatis hunc in modum rebus, Christiana pietas è maximis angustiis feliciter explicata, latius in omnem partem se se diffudit. P. Joannes Baptista Baeza, pietatis ardorem temperare prudentia & comitate doctus, in urbem arcentique Giazuscirum penetravit cum socio. Locum hunc obtinebant Icolci, falforum pervicacissimi Numinum cultores, apud quos opera posita jam per triennium & perdita fuerat. Gubernator civitatis Christianus auctoritate; Patres verbo; Deus præcipue cœlesti gratia, domuere illorum pervicaciam, feritatem comprefere. Suppetias venerunt Patri Baezæ quatuor sacerdotes è Societate, quibus brachia, nequaquam paria tot neophytis sacro lavandis fonte (frequentes enim

ex.

ex oppidis vicinis convenerant) fuere sustentanda, ut essent labori ferendo. Præda Christo parta fuit capitum viginti quinque millium. Aberant non procul arces duæ, Utum & Giaba: utramque Fides expugnavit, ac pristinis triumphis addidit. Utum quatuor millia felicium captivorum Evangelico subdidit jugo, & collegium Societati dedit; Giaba, duo millia & quingentos. Par in aliis partibus Evangelicarum expeditionum successus. Omnino per hanc pacis infidæ tranquillitatem septuaginta millia hoc anno MDXCIX. & sequenti ad Fidem accessisse perhibentur. In iis dynastæ complures ac Principes numerabantur. Singulorum nomina prodere, ac mirificas multiformis gratiæ in plerisque victorias, minutatim litteris mandare Patribus per otium non licuit; & quas miserant in Europam, anno MDC. pleræque omnes epistolæ interciderunt. Rex Arimæ conjugem duxerat perditæ addictam fitorum numinum cultui. P. Valignanus Regem adiit, ipsi gratulaturus felici reditu in regnum, & affinitate nova. Cum regina deinde collocutus, eam abduxit à falsa religione, cum universa ipsius familia; & nuptias Christiano solennique ritu junxit. Saxumæ rex, multi satrapæ, ductoresque Japonicarum copiarum, è Corea domum reversi, aures cœlesti doctrinæ dederunt, simulque liberam fecere potestatem Christi suis in finibus prædicandi, templa ædificandi de integro; collapsa vel diruta instaurandi. Denique restitutus in urbem Amangucium fuit aditus Evangelio & Societati, à rege Morindono, regnorum novem domino. Reperti sunt in hac civitate amplissima Christiani adhuc quingenti, religionis felices reliquiæ, & fortissimi custodes Fidei, ante annos quinquaginta ipsis per Indiarum Apostolum promulgatæ. Hæc omnia Patrum lætitiâ cumularunt, & conatus eorundem stimularunt ad excitandas ædes sacras, minore tamen apparatu, propter ambiguum vacillantis imperii statum, & dubiam concordiam inter ejus gubernatores fidem, ex qua status religionis omnino pendebat.

GIEASU rerum haud obscure solus potiebatur. Hinc mæror aliorum imperii gubernatorum; hinc invidia, querelæ, & bellum scilicet. In arma fœdusque coeunt, cum potiori nobilitatis parte. Hæc omnino decreverat præscriptas a Taicosamæ imperii gubernandi leges tueri: regnum ejus filio, uti jurata promiserat, asserere: demum nimios Gieasi spiritus comprimere. Fuximum igitur, civitatem permunitam, ejus partibus addictam, ubi superbissima Taicosamæ regni, Japonicæ magnificentiam monumentum visebatur, obsident centenis armatorum millibus, & injecto igne urbem totam cum regia, tot annorum, tot manuum labore, in cineres momento redigunt. Inde progressi obviam Daifusamæ copias habuerunt, numero longè inferiores. Eas delere nullo negotio potuissent, si scivissent vincere: sed dum deliberant, dum sententiis inter se pugnant, multis ducibus unum & optimum in consilium non facile convenientibus, elapsa est occasio; datumque Gieaso spatium fovendæ illorum discordiæ, sollicitandæ nonnullorum ex ipsis fidei, quorum prodicione & copiis auctus, inito certamine, gubernatorum exercitum interneccione delevit. Miles cladi superstes, quæ licuit, in fugam se conjecit: principes ac proceres partim in acie ceciderunt: partim ferro ventrem ultro sibi disseverere. Id ne faceret Augustinus Tzucamindonus Christiana lege, quam profitebatur, est impeditus; maluitque gravissimam ignominiam, ut opinio Japonum stulta censet, notam subire, quam Dei majestatem, inferendam sibi met ipsi nece, violare. Igitur in hostes confertos irruens, ingenti edita strage, multis adversis vulneribus debilitatus capitur, & ad Gieasum adducitur. Is victoria sapienter usus, Ozacam extemplo citatis agminibus contendit, ubi Taicosamæ filiulus servabatur. Obtinebat urbem ingenti præsidio Morindonus, fœderatarum partium dux, quas sustentare facile poterat, clademque acceptam sarcire. Urbs ingenio loci & operibus munita; intus militum amplius quadraginta millia: imperatoriæ gazæ, & Japonum regum congestæ in arcem opes: annona in multos annos comparata: Principum complurium, qui Gieasi signa sequebantur, filii, obsides Taicosamæ olim à parentibus dati, & oppido conclusi, facultatem amplissimam præbebant vel belli trahendi, vel pacis in suas ac suorum leges consociandæ. Sed infano terrore correptus, statim atque victas fœderato-

§. IX.
DAIFUSAMA JAPONICÆ IMPERATOR.

ratorum copias audivit, deditionem turpissimam victoris arbitrato fecit. Hoc vulnere concidit gubernatorum fœdus: Japonia Gieasi, qui Daifusama proprio; Cubosama, sive Cubo, communi Japoniorum imperatorum nomine appellatus est, jugum subit.

30.
Clades Religionis & Societatis à civili discordia. Reginae Tangi mors & exequiæ.

Paulo ante quam isti erumperent tumultus, restitutæ vel exstructæ de integro à Patribus Societatis ædes sacræ fuerant amplius quinquaginta: ethnicorum multa millia sub imperium Christi ditionemque subjuncta. Fides, quasi verno sidere post hyemem depulsam, ubique revirescens, lætissimas edebat fruges: eas belli repentini procella vehementer attrivit. Hac enim belli, quodcumque in Japonia geritur, conditio est, ut gravissimam rerum divinarum pariter & humanarum, perturbationem inferat. Tunc arma omnes induunt, cumque armis licentiam, & jus quidlibet audendi. Unusquisque aut miles, aut latro & sicarius est. Quæ cujusque reguli ac dynastæ fortuna, eadem est ipsius clientium, & regionis totius quæ ipsi parebat. Illo victo vel amisso, plerique vitam; cuncti agros, prædia, honores amittunt. Itaque ingens hominum multitudo, ac præsertim Christianorum, in quos liberè Bonziorum ethnicorumque sæviebat furor, exclusa oppidis, nuda & spoliata, vagabatur. Eorum amplius centum millia, in iis, ubi Augustinus Tzucamindonus imperitabat, locis, hanc miserissimam belli sortem subire. Patrum Societatis eo durior, quàm ceterorum fuit, quò pluribus erant invisi. Non cessabant tamen, quantum licebat, fovere tristes reliquias Fidelis populi, cujus plerisque in locis enituit virtus, & novam à luctuosi belli flammis lucem hausit, quòd uno alterove exemplo notare sufficiat.

Cum Ozacam tenerent fœderati, edixerant regibus ac principibus partes Daifusamæ securis, & quorum conjuges filiique Ozacæ, tanquam obsides, habebantur, ut cuncti desciscerent à Daifusama, & gubernatorum in verba jurerent, ni filios suos uxoresque in servitutem abduci, ac male perire vellent. Jocondonus Rex Tangi, Daifusamæ causam amplexus, conjugem (nomen illi Gratia) Ozacæ reliquerat, excellenti feminam forma & pudicitia, quæque prima laus ejus erat, Christianam. Discedens centurioni præceperat, ut, si veniret in periculum uxoris libertas aut vita, cervicem illi amputaret. Ipse multis magnisque nominibus obstrictus Daifusamæ, in ejus exercitu partibusque mansit. Irati gubernatores illius conjugem ad necem deposcunt, ædesque cum ipsa concremare parant. Tunc centurio, cui commissa reginæ custodia, & fidi ejusdem famuli ad exequenda tristia Jocondoni jussa se accingunt. Obortis lacrymis, ad ejus provoluti genua, lugubre imperium significant: orant supplices veniam admittendi sceleris, quod sua se morte confestim expiuros affirmant, hoc unum sibi solatium superesse contestati. Feralis edicti sententiam accepit regina constanti vultu, ac peccatore Christiano; ululantemque familiam, & capillorum foccum, quem in vertice gestant viri, avellentem (id summi luctus argumentum) consolatur. Christiana sum, inquit; mors Christianis pertimescenda non est, mortalis vitæ clausula, immortalis aditus. Vobis lugenda meritò, quibus, si falsam religionem retinetis, nulla spes melioris vitæ relinquitur. Oro igitur, atque adeo jubeo, ut superstitionem deponatis: de me, ut libebit, statuite. Tum centurio, Nobis vivere, inquit, te sublata, nefas; religionem avitam mutare, serum est: restat unum, perire tecum, & Regi de nobis tam bene merito, ac patriis legibus, fidem generosa nece probare. Ego verò, subdit illa, moriar, siquidem is jubet cujus imperium nequeo recusare: vobis ipsi fugâ, aut quacumque licet aliâ ratione, consulite. Quod si certum est perire; si necesse est, oro, Christiani perite. Cum ab iis impetrare nihil posset, orti paululum, quo se ad mortem compararet, petiit. Secretum, ubi fundere solebat preces, conclave ingressa, ante Christi è patibulo pendentis effigiem procidens, se illi ac sua omnia permittit. Inde matronas Christianas, & puellas nobiles, quæ unâ versabantur, eique aderant honoris causa, valere supremum jubet, amplectitur singulas; utque in tutum se recipiant, licet multum reluctantes, & lamentabili ejularu domum implentes, perpellit. Iis digressis, subeuntem centurionem ore lato videt, postisque genibus, salutaria JESU & MARIÆ nomina inclamans, cervicem, ultro depressâ veste, nudat: quam centurio illacrymans, petitiâ rursus veniâ, ferro messuit. Milites corpus

panno

panno serico involutum respererunt pulvere nitrato, cujus cados in variis domus angulis jam dispositos habebant. Tum singuli ducto in decussim pugione, alvum sibi diffundunt, unus ignem pulveri sulfureo subjicit, quo tota regia concussa, disjectaque deflagavit, Hic reginæ Tangi fuit exitus, cujus virtus digna profecto est, quæ in Ecclesiæ Japonicæ fastis locum inveniat*. Formæ splendorem, quo vincebat omnes, obsecrare jejuniis conabatur: corpus flagellis immitibus cruentabat: puerulos parentibus orbatos accipiebat in regiam: ipsa sordidos eluebat artus, ipsa pascebat, ac doctrinæ Christianæ rudimentis erudiendos curabat. Nullos sermones hauriebat avidius, quàm qui de pietate ac religione habebantur; utque libris Europæis frui posset, Latinam & Lusitanam linguam perdidicerat. Ubi primum Christo nomen dedit, durè à marito, patriis religionibus dedito vexata, barbari furias non solum pertulerat, sed etiam fregerat admiratione virtutis. Ejus ossa, post extinctum regis incendium, legit P. Organtinus, & sepulcro condidit. Gratias egit Rex Tangi, & composito postea bello, ad justa sponsæ carissimæ solvenda conversus, ea Christiano ritu peragi passus est. Nihil ad funeris pompam desideratum. Convenere Patres è vicinis locis: ædes sacra pullo intacta tota panno, funereis facibus collucebat. Res divina solenni cantu celebrata fuit, insigni modestia & majestate, qua mirè delectatus Rex (aderat enim cum delecto procerum agmine) temperare sibi non potuit, quin exclamaret magnum quiddam ac vere divinum spirare Christianas carimonias, quibus comparata Bonziorum sacra, pueriles nugæ, & histrionum ludi viderentur. Sed multo est admiratus magis, cum missos Patribus, ad solvendas funeris impensas, aureos nummos non paucos, ab iis distributos in egentium turbam rescivit. Hoc, inquit, Bonziorum nostrorum nemo fecerit. Ac illo quidem die se Patribus convivam obrulit; deinde in regnum suum redux, potestatem omnibus Christianæ legis capeffendæ fecit. Reginæ Tangi constantiam in ferenda fortiter morte per id tempus imitata pariter fuerat matrona nobilis, cujus conjux gravi accusatus crimine fugam arripuerat. Conjecta in carcerem, ut ejus scilicet periculo vir permotus vadimonium obiret (sic enim legibus Japoniæ constitutum est) multos in squalore & luctu menses traduxerat, cum ejus pater Christianus sacerdotem è nostris rogavit ut visere illam & erudire Fidei mysteriis ne gravaretur. Ivit, erudit, Deoque in cœlestem adoptionem dedit. Aliquanto post, cum ejus vir non appareret, iussa est in cruce mori. Rhedà, quamvis id ejus dignitas & ægræ valetudo postularer, vehi ad locum sumendo supplicio destinatum noluit, Deum se adorare dictitans, qui ad Calvariæ montem pedes processisset: imò, cum hoc ejus innocentia & sexui datum esset, ut prius adimeretur ipsi vita, quàm in crucem tolleretur, oravit judices, ut sententiæ in se dictæ pars nulla omitteretur, utque in cruce, Servatoris sui exemplo, mori posset. Virile feminei pectoris robur omnis ethnicorum multitudo suspexit, & Christianæ virtutis dignitate percussus ex ejus propinquis triginta Christo nomen dederunt.

* Vide Partem V. ad an. 1588. n. 215.

31.
Erumne Socio-
rum. Augustini
Tzucamindoni
pius & fortis
animus in mor-
te obcunda.

Barbaræ Japonum leges, quæ reorum uxores, filios, affines, licet infontes, unius ob culpam, ad pœnam vocant, non solum Japoniam sanguine, & domos luctu, per duos tresve, qui sequuntur, annos implevere; sed etiam maximas Christianæ rei & Societati calamitates attulerunt: maximè post factam Ozacæ deditionem, fractasque gubernatorum partes. Utum, arx erat in ditione Augustini Tzucamindoni. Hanc strenui & fideles domino milites, dum belli anceps fortuna fuit, propugnabant contra numerosas Daifusamæ copias, neque ulla pacis conditiones audiebant. Erant in arce quinque homines Societatis. Per eos obtineri posse credidit Canzagedonus, qui obsidioni præerat, quod nulla vis armorum extorquebat. Igitur mittit ad Valignanum, ut agat cum Patribus, eoque jubeat deditionem obsessis persuadere. Id si faceret, nihil non pollicebatur in gratiam Societatis & Religionis; sin vero abnueret, extrema omnia minabatur. Respondit Valignanum, nostrum non esse in ejusmodi negotia nos interponere: nobis animas curæ esse, bellum ducibus ac militibus. Ac sane adduci nunquam potuerant qui debebant in arce Patres, ut consiliis & deliberationibus, quæ inter duces habebantur, interessent. Cum ingruerat hostis, expediti per medios

ignes ac ferream telorum grandinem procurrebant ad excipiendas morientium confessiones; ad faucios è pugna educendos; ad reliqua munia sacerdotum obeunda. Singulis diebus res divina fiebat, cœlestis mensa frequentabatur à militibus, aliis in aliorum vices & locum interim succedentibus; suum orationi & piis exercitationibus præstitutum tempus erat. His præfidiis durabat invictus miles, furentes Canzagedono, cum certis auctoribus de Augustini clade ac nece cognitum est. Tunc enimvero soluti militiæ sacramento quod illi dixerant duces, auxilii etiam spe destituti, victori se non iniquis conditionibus permiserunt. Canzagedonus arce Uto, ac reliquis ferme regni oppidis potitus, comprehensos Patres arcta sepe custodia, & indignis acceptis modis, fame ac frigore sic debilitavit, ut Alphonsus Gonzales, illorum præses, in gravem inciderit morbum. Valignanus frustra libertatem eorum & vitam à barbaro deprecatus, egit cum Simone Condera, quem permagni Daifusama faciebat, & à quo sperare plurimum ac timere Canzagedonus ipse poterat, ut è vinculis emitterentur. Sed P. Gonzales tanto debiliore corpore, quanto vegetiore mente, concidit oppressus morbo VII. Kalend. Martias anni MDCL. natus annos quatuor & quinquaginta, quorum triginta sepe in Societate vixerat. Gallacia natale illi solum: Japonia, stadium difficile per annos quatuor & viginti fuit, facto variis in locis operæ non levi pretio, ac præcipue in regno Fingenli, cujus maximam partem solus Christianis sacris initiaverat. Paulo ante migraverat è vita P. Petrus Gomes, qui provinciæ Japonicæ præerat, ac difficillimorum temporum acerbiteriam prudentia, patientia, singulari Deiparæ studio, ceterisque summis virtutibus leniverat. Traditur petiisse à Superis per annos viginti quatuor, ut in Japoniam aliquando perveniret, ubi se totum divinæ impenderet gloriæ. Illuc demum ex Hispania sua delatus, tantam vim cœlestium donorum, tam uberes solidæ virtutis fructus, annorum sexdecim, quos ibi emensus est, spatio percepit, ut magno cum fenore per solutum sibi diceret, quidquid unquam incommodorum in ea pertulisset. Restabant in Japonia Socii centum & novem: illis quatuordecim subsidio venerunt.

Tam sanctis, tamque suavibus vinculis conjunctus cum Patribus fuit Augustinus Tzucamindonus, Fingi rex, ut ab iis non videatur esse disjungendus. Post commissum adverso Marte certamen*, ductus Ozacam, & capite damnatus, per frequentissimos oppidi amplissimi vicos circumvectus est, & omnibus ab insolenti plebecula opprobriis coopertus: sed ingenti semper animo, & erecto vultu; palam se Christianum ferens, & insignia suæ religionis ostentans. Ad eundem modum Meaci vicatim traductus, eandem ubique lætitiæ & invicti animi excellentiam retinuit: dum Gibonofcius, & Bonziorum princeps nescio quis, eodem damnati supplicio, marore perdit, muliebriter lamentabantur. Sanctissima JESU & MARIÆ nomina pronuncians, collum ferro carnificis præcidendum dedit. Amisit in eo Ecclesia Japonica firmissimum columen, ethnicorum terrorem, tutorem Societatis Jesu, ac prope patrem. Expetierat aliquem è Sociis, a quo verba novissima & solatia moriens acciperet. Id quia vehementer optare visus erat, pertinacissimè illi a Daifusama denegatum semper fuit. Patres, quod unum licebat, submisere nobilem Christianum, ut morituro suggereret quæ res tempusque postulabat, Corpus ad Meacenses delatum Socios Christiano ritu sepultum fuit, indiæque pro illo per totam Societatem à Præposito Generali preces. Reperta est in ejus vestis limbo epistola, quam è vinculis ad uxorem filiosque scripserat. Narrabat quemadmodum ærumnosam in acerbissimo carcere vitam, vel mortem potius diuturnam produxisset: has peccatis suis promeritum se esse poenas fateretur, & paternam Dei, amice hinc momento scipientis, ut illic æternum parceret, manum gratus agnoscebat. Id commendabat illis unicè, ut quam Christo dederant fidem, ad extremum usque spiritum conservarent; meminissent fluxa & peritura esse, quæ videntur & sensibus nostris illudunt, bona; æterna verò & immortalia, quæ Deus diligentibus se præparavit*. Hæc epistola, uti jusserat, ad uxorem perlata, nescias an majore illam gaudio, propter eximiam viri pietatem affecerit, quàm dolore, ob atrocitatem tot suppliciorum, quibus eundem tandem cruciatum intelligebat.

Nihil

* Suprà, §. IX.

* I. Cor. 2.

Nihilominus supererat miserrimæ & lectissima femina duplex solatium; expectatio matura necis, deinde filius adolescens, Daifusama nepti nuper desponsus, dignus patre puer, dignus affinitate tanta. Hunc à victore servandum, & in paternas laudes aliquando successurum mater sperabat. Vultus liberalis, felix indoles, ingenium, solertia, dexteritas, omnia longe vincebant ætatem: vix enim duodecimum egressus annum erat. Eas ob dotes carus Daifusama, carus aula toti, omnium in se oculos amoremque converterat. Capto Augustino, confugit ad Morindonum, amicum dynasten, & partium quas secutus fuerat pater, ducem. Sed vecors perfidusque princeps, cum dedere se turpiter arcemque statuisset, nullo munere Daifusamam certius conciliari posse, quàm adolescentis oblato capite judicavit. Ergo illum blande affatus, in abditam arcis munitissimam partem, quasi tutius contra hostiles impetus custodiendum, ablegat; quò satelles immixtus puerum minime trepidantem, neque imparatum, interfecit. Jam enim, sive Deo intus admonente, sive sagacitate nativa, perfidiam, & scelerata Morindoni consilia odoratus, animæ labes absterferat sacra confessione, cum eum sacerdos Societatis clam convenisset: quo sacramento munitus renunciari Patribus iussit, se animo bono & magno esse; Societati addictissimum, ut vixerat, mori. Caput exangue conspicatus Daifusama, triste donum averfari visus est, nec inultum scelus auctori fore dixit. Quod animadvertens centurio sceleris administer, affirmavit puerum paternæ mortis dolore sibi violentas artulisse manus, delectamque mortuo cervicem, Morindoni iussu, fuisse. Augustini filiam insignis dynastes habebat in matrimonio: veritus ne sibi exitio foret affinitas cum Augustino suscepta, uxorem repudiavit. Ejectam exceperunt Nangazachii Patres, & officii caritatisque legem Japonicis legibus, quæ reorum filios aut affines receptare in lasa Majestatis criminibus numerant, potiorum duxerunt. Daifusama nequam id graviter tulit; nimirum lenitatis famam initio captans, & moderatè victoriam exercere studens. Itaque plurimis, qui arma contra ipsum sumpserant, ignovit; uxorem, liberos ac propinquos Augustini Tzucamindoni, ad necem haud dubiam, si patrio more legibusque causa penderetur, destinatos, & ad eam paratissimos, iussit vivere: Societatis Patres ad se adeuntes non modo excepit humaniter, verum etiam Ozaca, Meaci, Nangazachii, quæ tres primariæ tunc Japonum erant civitates, consistere passus est. Cumque triginta regna ducibus præcipuis suarum partium divideret, eorum pleraque Christianis obrigere, qui catholicam religionem, in iis ubi jam vigeat, locis, è cladibus belli gravissimi recrearunt; reduxerunt unde pulsa fuerat: quò nondum penetraverat, invexere. Jam, provinciarum præfecti, quorum amores & odia nutu principis & aulavento gubernantur, cum Patres in honore ac pretio apud Imperatorem esse cognitum est, se Christianis æquissimos ubique præbuerunt.

Hic tamen Daifusamæ in religionem favor simulationis & artificii plenus erat. Cum auctoritatem ferro partam, arte retinendam cerneret, ac timeret omnes qui ab omnibus timebatur, hinc fiebat ut ethnicos tetrarchas juxta & Christianos libraret quodammodo æquis ponderibus; modo his, modo illis favens; eam demum amplexurus partem, quæ præpolleret. Legum in Christi cultores editarum a Taicosama severitatem ita moderabatur, ut eas tamen non abrogaret; ac valere, cum videbatur, juberet; quod per istam occasionem apertius declaravit. Ximandonus, Nangazachii gubernator, Omurani regni partem, ut suæ regioni vicinam, a Daifusama petierat, eo tamen pacto, ut ipse insulas Amacufanas, regi Sancio, ad quem regnum Omuranum pertinebat, tribueret. Tulit ægerimè permutationem hanc rex Omuræ, non tam suam quàm religionis, cujus erat patronus, causam; videbat enim actum de illa esse, si Omura in manus & ditionem Ximandoni, hostis Christianorum acerrimi, veniret. Adiit imperatorem supplex, effecitque ut de sua spe Ximandonus postulatisque depelleretur. Illius cupiditate, non tantum regi Omurano, sed Christianis omnibus perniciem meditans, & iratum Daifusamam aliquando nactus, propter ingressos Japoniam è Philippinis sacerdotes religiosos, accendere illius iram callide studuit, refricando pristinas suspiciones, & injectos olim de Hispana potentia metus: mox,

viola-

32.
Daifusama Patribus initio benevolus & religioni: postea mutatus. Reguli quidam læviunt.

violatas à regibus Arimæ & Omuræ leges Taicosamæ conqueritur exstructis contra vetitum templis, & acceptis in sua regna sacerdotibus Europæis. Daifufama, cui nihil tunc antiquius erat, quàm ut leges à Taicosama sanctitas observare diceretur, Ego vero, inquit, nullam exstruendi templa veniam dedi: destrui acutum & excindi volo. Exceptit vocem funestam alacer Ximandonus, statimque negotium dedit suis satellitibus, ut aedes Christianis addictas sacris, quæ in insula Ximo multæ insignesque visabantur, æquarent solo.

Singulari Numinis providentiâ factum, ut in aula tunc adessent Christiani duo reges, Arimæ & Omuræ, quorum in regnis vastitas illa sacris domibus inferenda erat. Agunt per amicos, ac per se ipsimet, cum Daifufama, ut luosam revocare vocem velit; malle vitam sibi, quàm templa eripi: non aliter comparatos esse Christianos indigenas, ac Lusitanos, qui sacris ædibus adeptis è Japonia procul dubio migraturi sint. Labantem tyrannum, ac ne quid novi tumultus oriretur anxie verentem, abjecti ad pedes perpulerunt ut edictum ferale abrogaret. Neque ullam interposuit moram Arimæ rex, quin certiores eade re Patres faceret. Felix nuncius Arimam perlatus est eo ipso die, quem evitendis religiosis ædibus Ximandonus destinaverat; cum impietatis ministri jam Arimensis templi fastigium deturbarent. Omuram perferri satis mature non potuit: quatuor aedes sacræ jam conciderant. Sic repressus Ximandoni furor paulum quievit. Cum nihilominus veteris odii memor, turbare aliquid ac movere in Christianos pergeret, incurrit in offensionem Principis, atque ex aula se subducere coactus, ad insulas suas Amacusanas se recepit. Ibi cum incolas, ditiorum Augustini Tzucamindoni quondam subditos, Christianis omnes sacris imbutos reperisset, non est ausus negotium illis exhibere, ne quid pejus in suum strueret caput; imò Societatis sacerdotes à Patre Vistatore flagitavit accepitque certis conditionibus, quas hominis ingenio diffidens P. Valignanus tulerat, & quibus Ximandonus religiosè stetit.

Domestico similiter damno Christianos in tutela Dei præpotentis esse expertus est alter illorum insectator Canzagedonus, Augustini Tzucamindoni apertus olim hostis, ejusque Fingenfe regnum adeptus, in quo facile centies mille nominis Christiani capita censebantur. Ac principio quidem lupinam rabiem vulpina pelle texit; deinde, ubi confirmatas in recenti regno suas opes vidit, deposuit larvam, & in oves Christi savire coepit. Nec mirum, quippe Foguexorum sectæ signifer, cui dedita Bonziorum natio, longè perditissima est ac profligatissima. Exorsus ab aula suæ proceribus, proposuit ipsis obsignandum indicem his vocibus inscriptum: *Eorum nomina qui Fidem Christianam abdicarunt, neque eam unquam se redituros promiserunt.* Qui nomen suum in hunc indicem referre abnuerent, ii fortunis, fundis, pensionibus, spoliandi pronunciabantur. Una vox omnium Christianorum fuit, vitam se amissuros prius, quàm imperata facturos. Ut obfirmatos in sententia vidit, necem ac supplicia interminatus, nonnullos eo compulit, ut moram ad deliberandum postularent; ceteros exiit honoribus & bonis; ædibus ejecit, demum illis igni & aqua interdixit. Excessere lati urbibus ac tectis; cum liberis & conjugibus, ac sparsi per agros, sub dio, aut in constructis temere mapalibus degebant, nemine uspiam auso vel accipere tecto miseros, vel juvare cibo. At Socii nullis tyranni legibus minisque deterriti, confestim alii agrorum, alii opificum vestitu induti, afflictis solatium, cibos famelicis, animos omnibus, succederunt. Tenuit per sex menses diræ vexatio, donec Canzagedonus ad regiam coactus proficisci, ac veritus ne Daifufamæ ingrati rem, & in vulgus invidiosam, faceret, si nobilibus Christi athletis necem, quam adeo generosè lacebent, inferret, facultatem ipsis dedit regno demigrandi. Qua conditione ultro accepta, partim Omuram & Arimam, partim Nangazachium concessere, ubi præclaros exules omni ope ac subsidio tum Episcopus, tum reliqui Societatis Patres sublevarunt. Neque justam impii capitis ultionem diu distulit Deus. Paucis post diebus latronum grex comprehensus vinculisque mandatus est. Habita quaestione, reperti sunt ex iis amplius triginta in Canzagedoni familiam adscripti: nullus (quod bene vertit) Christianus.

Sum-

Sumptum de sceleratis supplicium, multatus grandi pecunia Canzagedonus, quod facinorosos in familiam acciperet. Ita domestico infortunio factus mitior, suis otia Christianis aliquandiu fecit.

Inciderunt in idem tempus solennes tota Japonia feriæ, regni primoribus Meacum ad Daifusamam pro more salutandum convenientibus. Tunc ipse Cubosamam nomen inter festos populi militumque plausus sumpsit, quæ vox summum copiarum duces significabat. Postea tamen suum resumpsit nomen (nam Daifū quoque, ut diximus, appellabatur) additâ tantum voculâ *Sama*, quæ summum ducem, seu dominum, sonat. Meaco statim profectus est Ozacam, ut Fideyorum, Taicosamæ filiolum sibi concreditum*, inviseret, quem superba clausum domo, regio

* *Suprà. n. 27.*

more cultuque diligenter educabat, donec regno maturum ætas faceret. Hac moderatione præmuniebat aditum consiliis, quæ ambitioso concepta pectore, & in tempus eruptura, simulationum integumentis occultabat; religionem Christianam prout commodum erat, nunc attollens, nunc deprimens; & famam æquitatis, ac boni principis honestissimum nomen cupidè ambiens. Itaque Terazavam, Nangazachii gubernatorem, Christianis multò infensissimum, loco movit, quod insignem in eos calumniam nefariè struxisset; ac P. Joannem Rodericum ad se venientem accepit honore præcipuo, stantibusque circum proceribus, assidere sibi iussit. Nangazachiensem verò præfecturam, totius Japoniæ facile primariam, Marayamo, inter Christianos spectatæ fidei ac probitatis viro, mandavit. Quæ res mirum quantum splendoris & ornamenti addidit nomini Christiano. Et Superis impensè carum esse Nangazachii piorum gregem per id maximè tempus intellectum est. Incendium atrox, magna urbis parte in cineres redacta, undantes flammæ in ædem sacram Societatis deferebat. Nihil ad arcendam pestem restabat remediū præter preces. Precibus Numen præsens adfuit. Coortus derepente ventus avidos ignes, & jam hærentes muro, in aliam partem retorfit. Ceterum dejectus postea summo fortunæ florentis fastigio Terazava, nullos in perditis afflictisque rebus adjuutores amicosque sensit, præter Societatis Patres & Christianos, qui beneficiis ulcisci maleficia, docente Christo, didicerunt.

33.
Societatis domestica calamitas. Initium persecutionis.

Ineunte anno MDCIII. Societas numerabat in Japonia centum & viginti de suis, sacerdotes magnam partem; reliquos sacerdotum adjuutores. Adhuc stabant ejus domicilia viginti tria: ubique tamen parata mors; vita ægre trahebatur inter metum, labores, & rei familiaris angustias, quæ multo erant, quàm annis superioribus, arctiores. Eas hæcenus tolerabiles reddiderant eleemosynæ, quas è piorum liberalitate collectas, quotannis Lusitanorum cura in Japoniam statò tempore deferebat. Illorum navis, sexcentis erepta naufragiis, Meacensem oram attigerat. Latè milites ac nautæ sua Superis vota reddaturi exscenderant in littus, cum rem speculati ex insidiis Batavi, contento cursu ad eam feruntur. Præsidio destitutam occupant, abducuntque. Iidem aliam navim, ditissimis onustam mercibus, è Sinenfi solventem portu paucis post diebus in vicino freto adorti expugnarunt. Nulli gravior illa jactura, quàm laboranti Japonum Ecclesiæ fuit. Ac suam quidem Societatis Patres egestatem facile consolabantur; sed non potuerunt non vehementer dolere miserrimam sortem florentissimæ juventutis, quæ in ipsorum Seminariis, ad spem tutandæ ornandæque religionis succrescebat, & quam alere cum non possent, dimittere coacti sunt. Lacrymas non tenebant, stentibus ubertim suavissimis pueris, quos tot curis & sumptibus educatos a se divelli conspiciebant, & in gravissima corporum animarumque pericula conjici. In ejusmodi Seminariis facile principem obtinebat locum Arimense. Hinc promebantur sacerdotes rite instituti formatique ad habendas conciones, & obeunda cetera, quæ religionis usus postulat, ministeria. Illud destitui rex Arimæ vetuit, ea tamen lege, ut amandarentur ex ejusdem alumnis qui spem indolis ac virtutis minorem præberent: ceteris ne quid deesset curaturum se spondit.

Hic vero novum & lugubre certamen exortum, cum discernendi pueri alii ab aliis fuere. Quibus abeundi necessitas denunciabatur, accidebant proni ad genua Patrum, orantes id unum ut ne discedere cogerentur, ut haberentur in famulorum & mediastinorum loco; nihil futurum in se moræ, quin arido & fecundario

cundario pane totum annum vescerentur : at gerendus mos necessitati fuit. Non minori dolore Patres affecit tum illustrium Christianorum calamitas, quos ob Fidei constantiam fortunis exutos, utcumque antea sustentabant: tum immanitas Canzagedoni, Fingenis regis, qui edicta nuper à se contra Christi cultores lata renovans, crudelem scenam pio sanguine resperfit. Primus in eam prodiit Joannes Minamus, nobilis Japon, natus annos duntaxat quinque & triginta. Arreptus noctu ab amicis impie clementibus, atque ad Bonzium, superstitionum Japonicarum antistitem, perductus oblatum ab eo volumen quoddam, ethnicis sacrosanctum conspuavit. Ea re cognita neci statim a Rege addictus, in regie aula deducitur. Gladium jussus in limine deponere, vix illum ephebo nobili tradiderat, cum strictis armatos ensibus & vociferantes proflire, qui post aulæum latebant, milites videt. Quibus ipse sacra JESU & MARIÆ nomina ore lato referens, ponit illicò genua, & cervicem furiosis amputandam offert.

Primam hanc victimam excepit altera æquè grata Superis, Simon Gifoius. Illum a Rege, ob religionis pariter causam, capite damnatum Cacuzaimonus Jateuxiri gubernator, veteri amicitia cum ipso ejusque familia conjunctissimus, & servandi amici cupidus, maturè convénit. Reperit de Joannis Minami mortefelicissima diserentem cum matre, matrona Christiana fidei ac virtutis tenacissima. Gubernator, obortis ad amici conspectum lacrymis, aliquandiu tacitus habit; intercluserat vocem dolor. Demum Simonis matrem compellans, interrupta singultibus crebris oratione, Jussa Regis, ait, quàm invitum exequar, Superos omnes testor: malè peream, si mea, quàm hujus, vita mihi carior est. At tu filium, dum licet, teque ipsam ac tuos serva, quos ejus pertinacia eodem omnes, ut nosti, exitio statim perdet. Movit hæc oratio parentem filii amantissimam: vixit nihilominus maternæ pietatis, quos natura dabat, sensus fortior naturâ Fides. Sanè, reponit illa, recte nobis consuleres; si leve & hujus temporis negotium ageretur: sed cum agatur æterna salus ac vita, non possumus illam perituræ citò vitæ bonisque fluxis non anteferre. Invidendam filii mei sortem, non lugendam puto; neque aliam mihi scilicet ac meis optem: illum quamprimùm sequi summa votorum est. Obstupuit ethnicus, & conversa in iram subito commiseratione, verbis atrocibus & conviciis matronam sapientissimam insectatus, proripit se furans domum, & Jecicavam Gifoium, Simonis consanguineum, ad se accitum his verbis alloquitur: Simonem Rex capitis condemnavit: delegi te amicum ejus & affinem, qui supplicium de illo sumas: ito, hanc ipsi epistolam, & sententiam necis, defer.

Honori Japones ducunt nobilium & affinium ferro potius, quàm tortorum, cadere. Ad Simonem Jecicava, quamvis intempesta nocte, pergit. Orantem apprehendit; reddit epistolam, significat dolorem suum. Quem Simon arctissime complexus, Isto me nuncio, inquit, beas; indulge duntaxat paululum moræ, quò paratior moriar. Non latuit feralis nuncius matrem Simonis & uxorem. E conclavi proximo, in quod cubitum concesserant, prodeunt alacres, & calidam a famulis parari jubent. Ea corpus ablueri mos est Japonibus, cum vocantur ad epulas. Lotus Simon, & pictam auro vestem gerens, servos certo donat omnes munere, ac novissimis salvere verbis jubet. Erupit lamentabilis tota domo planctus: vitæ dolore mater conjuxque Simonis, ante ipsius pedes conciderunt. Quas ille ficcis oculis erigens, Itane, exclamat, invidetis felicitati meæ? Ubi illa virtus? ubi, quam toties verbo & re declarastis, constantia? Sic paulisper confirmatæ sunt. At ejus uxor Agnes, quam nobilitas, forma, pietas, dignissimam viro & carissimam faciebant, ejus atinens genua, rogabat enixè ut sibi comam attonderet: sic solent Japonum viduæ, quæ secundarum fœdera nuptiarum fugiunt. Cunctatus aliquandiu Simon, atque uxorem sui juris & arbitrii, se mortuo, fore dictitans, ejus tandem precibus, hortante matre, cessit.

Omnes deinde in genua procubuerunt. Simon Deum elata voce aliquantisper, mox tacita mente, deprecatus, & matrem dextra, lava uxorem allevans, Postremum, inquit, hic vos video dimittoque, brevi tamen ambas illic, ut confido, recepturus; videte ut præcuntem forrifer sequamini. Pollicentur se facturas,

ras, & invicem non sine lacrymis complectuntur. Sic in aulam scenæ lugubri destinatam mæstâ perfusus lætitiâ deducit, consequente & plangente familia. Stabat inter accensas faces media imago Christi, spineo diademate redimiti, cuius ad conspectum proci dens fortissimus juvenis, fuis rursus precibus, detractam de collo thecam sacrarum reliquiarum matri; globulos aliquot consecratos uxori dat; ac rebus omnibus compositis, Christum demissa in terram fronte suppliciter veneratus, nudatum humeris tenus explicat caput, quod uno ictu Jecicava decussit. Coortus dissono luctu clamor implevit aulam. Solæ mater & conjux martyris, immotæ atque territæ, oculos omnium in se se converterunt. Mater filii cervicem cruentam suavissime deosculata, & in præclaræ necis laudes effusa, Deus æterne, inquit, qui filium tuum unigenitum mactasti pro me; hunc meum, qui se tuo jam honori fortiter immolavit, habe. Accurrens pariter Agnes dulcissimi sponsi caput repetitis osculis exceptit, ac lacrymis suis perfudit, beatam se clamans quod virum haberet martyrem; ac velut cœlo jam receptum obsecravit ut sponsam, ad ejusdem gloriæ consortium vocare ne cunctaretur.

Vota ex animo concepta Superi audivere. Vix illuxerat, cum latus ad eorum aures accidit rumor, dictam in ipsas esse necis sententiam, itemque in Magdalenam, Joannis Minami conjugem, quæ tunc in ædibus Simonis Gifoli aderat, cum filio parvulo, septem octove ad summum annos nato, mori pariter cum matre jussu, ut barbaræ Japonum leges præcipiunt, quæ reorum familiam omnem damnant. Hic viriles in imbecillo sexu animos admirari licuit. Ruunt in mutuos amplexus, gratulantur inter se se; ac si quas fudère lacrymas, gaudium expressit. Unus angebat Magdalenam metus de filiolo, quem blande compellans, En, ait, fili, cœlum petimus, & per crucem petimus: tu cum in eam eris sublatus, memento JESUM & MARIAM, donec vita te voxque deficiat, inclamare. Meminero, subjecit ore blando puer; prius me vita, quàm geminum hoc nomen, deseret. Euge, inquit Magdalena: mactæ hoc animo; & oscula libavit. Veritus interim gubernator ne, si matronas tantæ nobilitatis ac famæ ageret in crucem, de die, tumultus aliquis oriretur, educendas sub noctem, & læticiis devehendâs curavit. Ut in conspectu fuere cruces, profluere, ac maximas egere Servatori Deo grates, quod in eandem aram ipsas tolli pateretur, in qua scelus humanum sanguine luisse. Prima cruci est adstricta Joanna, Simonis mater, tortores obtestans ut omnem in se, quo Christum propius imitaretur, crudelitatem expromerent; tantum rogavit fauces ne obstringerent arctius, quo liberius precaretur. Cohortata deinde circumstantes bene multos, admonuit ne suo supplicio terrentur, nihil quippe esse dulcius, quàm vitam pro Deo, qui nos sua redemisset vita, profundere. Continuò lanceam carnifex adegit in latus loquentis, nec illud tamen pertudit: hebetatum mucronem intrepida mulier increpuit, ac JESUM & MARIAM alta voce iteranti tortor tanto impetu hastam incussit in sinistrum latus, ut transfixo pectore acies ex humero dextro emerferit.

Magdalenam cum applicarent felici ligno satellites, accurrit Ludovicus (id ejus filiolo nomen erat) utque cum matre necaretur flagitavit. Igitur ante matris oculos, ut bis illa scilicet moreretur, pusillæ cruci alligatur puer, & quia constringebatur durius, paululum ingemuit. Palluit mater, ipse centurio tragici spectaculi moderator, lacrymas non tenuit, ac laxari tantillum funes imperavit. Pependens puerulus oculos a matre non dimovebat. Quem illa, oculis vicissim in ipsum assidue conjectis, identidem submonebat ut bono esset animo, ut JESUM ac MARIAM appellare non cessaret. Suavissima nomina pronuntiabat puer, mater eadem repetebat, concentu mirabili, populo singultibus accinente; donec succedens carnifex puerulum hastâ percussit, sed ictu levi, ac pæne irritò; an infantis commiseratione? an fallente ferro? At si puero pepercit ferrum, matri certè non pepercit. Subitò, Age fili, exclamat, JESUM appella. Infans, mirum in neque gemitu, neque lacrymâ significationem doloris ullam aut metus dedit, sed eodem vultu tortorem, dum ictum certiore inferret, expectavit. Sic agnellus innocens coram mactante se non aperuit os suum*. Hac morte perfuncta mater, levius suam tulit, ac fumantem adhuc filioli sanguine lanceam toto accepit sinu.

34.
Mulierum
Christianarum,
& puerorum vi-
rilis fortitudo.

* Isai. c. 53.

Restabat Agnes, victimarum quatuor postrema, sequi socias avida, necem-
que deposcens: at tortor, qui necare vellet, deerat. Omnes dolore defixi torpe-
bant, quamvis imperio ac minis urgerentur. Ergo ipsa se componens aptansque
cruci, jacuit aliquandiu, donec ethnici aliquot mercede impulsu, vel nominis
Christiani odio, illam denique raptim & immisericorditer vincam, sublime cum
patibulo erexerunt, arreptisque carnificum lanceis, quas tractare nesciebant,
multis hinc inde vulneribus, orantem oculosque inter hanc lanienam & tristes
turbæ complorantis gemitus, cœlo defigentem confecere. Annum integrum in
cruce pependit corpora: ossa minutatim soluta collapsaque Christiani conclu-
sere totidem capsis, & in adem Societatis Nangazachiensis intulerunt.

Hi fuere anno MDCIII. Japonicæ fructus Ecclesiæ. Effloruit protinus in-
copiosam messem imbuta martyrum cruore secundo seges. Neophyti, a quibus
metu suppliciorum dissimulata aut abjecta Fides fuerat, muliebri exemplo ac for-
titudine ad pudorem & poenitentiam adducti, cum Deo & Ecclesia in gratiam
redierunt. Confirmati qui nutabant; ceteri ad similem gloriam consecrandam
stimulis acrioribus excitati. Ethnicorum ingens numerus ad Christianam religio-
nem est conversus, eam esse veram certissime judicantium, ob quam ingenio,
moribus, genere præstantes viri feminæque vitam & omnia, quibus mortales gau-
dent, bona projicere minime dubitarent. Ipse in primis Jecicava Gifoius, a quo
Simonem truncatum capite diximus, post ejus necem recepit se Nangazachium,
ubi a Patribus institutus, & ab Episcopo salutaribus lymphis ablutus, gladium
illi, quo Simonem obruncaverat, obtulit. At contra Cacuzaimonus, regis cru-
delitatis minister, apud Principem accusatus, & præfectura quam obrinebat
spoliatus est.

Periculi minus ac terroris habuit annus MDCIV. Daifusama nondum au-
palam Christianos laceffere, numero ipso metuendos. Suberat etiam alia gravior,
cur foveret pacem, causa: nempe ut, conciliatis populi & procerum animis, ex-
citeret Fideyorum, Taicosamæ filium, solio, illique suum filium imponeret. Ita-
que vicinas gentes fœderibus, nobilitatem Japonicam beneficiis, plebem suavi-
tate otii, devinciebat. Societatis Patres ob eandem causam habebat mitius; cum-
que adfuisset sub anni principium P. Organtinus, ut consueta salutationis vesti-
gal penderet, illum è conferta Bonziorum, quos idem officium exciverat, turba
exemit, ac per duas horas colloquentem detinuit. Non nunc primum Deus re-
gum consilia, quamvis aliena & injusta, servire suis jubet. Viguit Christiana
religio per occasionem regia in ejus magistris benevolentia, & amplius quatuor
ethnicorum millia, paucis mensibus, novam hauserunt è sacris baptismi lymphis
originem: interque illos Nobunanga, nuperi Japonum imperatoris, filia; itemque
Taicosamæ nepos. Dissipati Seminariorum alumni ad pristina paulatim domici-
lia redierunt. Centum viginti, quot erant in Japonia, Societatis operarii, præ-
ter quadringentos admodum Dogicos, seu catechismi administratos, omnis late-
bris, in urbium luce *verbum salutis cum fiducia loquebantur* *. Meaci governa-
tor Itacundonus adem sacram magnificentissimam in superiori parte civitatis, præ-
ter aliam hand ignobilem, quam in inferiori jam habebamus, extruxit; lamen-
tantibus Bonziis, & graves querelas, at inanes, jactantibus. Nangazachii flo-
rebat sodalitiū Deiparæ ab Angelo salutata, destinatum præcipue clericis ad
obeunda vitæ sanctioris & Apostolica munia instituendis. Unum ex eo numero
fecrevit Episcopus, & sacris Ordinibus initiatum templo urbis primario præfecit:
nec ita multo post per oppidi vias, more catholico, nunquam antehac in Japo-
nia usurpato, adorandum Christi corpus circumvexit. Oratio consequi nulla po-
test quibus læticiis Japonum Ecclesia incesserit, qua fuerint ipsi ethnici admira-
tione percussi, cum vestitos aulæis ditibus vicos, procedentem insigni modestia
linteatum clerum, prosequentem Christianorum aperto capite multitudinem, per-
strepentibus tympanis ac fistris, intuerentur. Valuit ea species majorem in mo-
dum ad altius defigendam in Fidelium animis divinæ dapis venerationem & fa-
mem, quibus dulce jam erat omnibus carere deliciis, ut ea ne carerent esca-
quique angelicum ad panem mores Angelorum ac sanctimoniam asferre conaban-
tur.

35.
Persecutio mi-
tigatur. Prodit
è latebris reli-
gio.

* *Altor. 4.*

tur. Sane ad flagitium incitata virgo non alia magis voce repressit impurum amatorem; quam ista: Egone pasta Dei corpore; corpus meum fœdo scelere commaculem? Quod si nihilominus dynastæ quibusdam in locis sevierunt, stetit intra modum furor; qui postea mutato, ut brevi dicemus, Daifusama, in omnem se pœnarum atrocitatem effudit. Hanc interim tranquillitatem nacti sunt opportunè sexdecim è nostris, delati Nangazachium id temporis in Macaensi mercatorum onerariâ. Dum isti Japoniam subeunt, profectus est in Europam, nomine Japonensis Episcopi, & Valignani Visitatoris jussu, P. Franciscus Rodericius. Post exhausta feliciter sexcenta diurnæ ac molestæ navigationis pericula, invehebatur in portum, Olistipponē spectante & gratulante, cum navis latentibus impacta scopulis, ac diffracta penitus est. Præcipui vectores in scapham accepti vinamicam Rodericio faciebant ut in eandem desiliret. Salus æterna multorum qui remanserant in navi, quia scapha angustiis excluderentur, illi potior sua ipsius vita fuit. Audiebat contentes peccata, & ad obeundam piè mortem præparabat, cum hausta fluctibus navis omnes eodem tumulo contexit. Lusitanus erat. Ex annis sex & quadraginta transegerat duodeviginti in Societate. Concionator egregius, tum ob nativam facundiam, tum propter sermonis Japonici facultatem, quam usu longo studioque limaverat. Quot regna Patres, ab eo in Japonia relicti, lustraverint, docendo baptizandoque peragrare. In urbe sola Nangazachio annus unus infantes amplius septingentos cœlo intulit, adultos octingentos & nonaginta Ecclesiæ addidit. Nec brevitati nostræ pariter vacat referre singillatim Christianarum virtutum egregia documenta, passim a neophytis edita: conscientia, errata vel levissima exhorrescentis, purissimum nitorem; diligentiam in præparandis ad sacrum epulum animis; severas jejunii leges observari solitas etiam à senibus; pietatem in frequentanda precatione; in eadem per complures horas ducenda constantiam; ardorem in Christi cruciatibus non sedula tantum meditatione tractandis, sed varia corporum afflictatione imitandis. Crevit hic ardor ipsâ, quæ sequentem annum MDCV. conturbavit, vexatione. Ut enim calor per hyemem retrusus in cavernas, & ab inimico frigore foris obsessus, augetur & corroboratur: sic vera pietas ab ipsis ærumnis & periculis vires animosque ducit.

Parum consideratæ promissioni junctâ imprudens responsio renovavit florentis Ecclesiæ clades, & in consequentes annos longè propagavit. Franciscani recens ingressi Japoniam cum intelligerent nihil optatius Daifusamâ accidere posse, quàm si naves Hispanæ Japonis portus frequentarent, ausi sunt ei polliceri fore ut quotannis aliqua pretiosis onusta mercibus eos intraret. Promisso tam liberali delectatus sedem illis in urbe Yendo concessit. At Hispanorum navis nulla venit: conspecti duntaxat fuere myoparones, iique ad alios portus appulsi. Rem ægerime tulit imperator, & Franciscanos, adentes salutandi causa, repulit. Frustra illum conati sunt placare, cum dicerent periculosum Nangazachiensis portus aditum esse. Futilem excusationem docuit Anglicana per eos dies oneraria, in eundem facillime invecta. Hinc diffidere Hispanis Daifusama, aurem sermonibus invidiorum ac suspicionibus accommodare. Illas dilui muneribus posse institores Castellani crediderunt. Quid enim non evincunt munera? Magnificentissima obtulere. Frontem obductam paulum explicuit avarus Priuceps; & iniecit in sermone multa de ipsorum navibus, mercibusque peregrinis: quæsitivè quàm multæ naves è nova Hispania in Philippinas, quam prosperè, vela fecissent. Nam illi, ut olim Taicosamæ, vicina in Philippinis potentia Hispanorum non levem incutiebat metum. Multas venisse naves responderunt, easque armis & militibus referatas. Atenim, subjecit, quorsum tot milites, tot arma? Ad redigendas in ditionem Hispaniam Molucas, inquirunt. Vocem temerè iapsam excepit Daifusama, memor alterius, qua Taicosamam narravimus efferatum octo abhinc annis*: nec dubitavit quin Hispanorum ea mens & Lusitanorum esset, ut sui Regis, non Christi, proterrent imperium, totidemque facerent perduelles, quot Christianos. Moneandum illico regulum curat, cujus in portu mercatores Castellani confiterant, ut omnes in navim recipere se cogat, neque ullo temporis puncto in Japonia remane-

36.
Vexatio Christiani gregis crudeliter. Ejus occasio Procerum Christianorum cædes.

* An. 1597. Suprà. num. 17.

nere patiatur. Rescripsit ille, quod spectaret ad mercatores & reliquam vestrorum turbam, se imperata facturum; at religiosos viros Meacum, & alias in urbes jam discessisse. Meaci gubernator admonitus, pronunciat publice per præconem, ne quis illos excipere, alloqui, alere sustineat.

His auditis, provinciarum præsidēs & reguli, quos Principis in Christianos favor coercebat, isto quasi freno soluti, in eorum fortunas, domos, vitam, impetus repentinos fecerunt. Rex Fingi capitales inimicitias gerēbat cum tribus Japonibus, præcipuis Fidei defensoribus (Gisfaqos appellabant) opibus, nobilitate, pietate claris. Eorum duobus Joanni & Michaeli manus injicit: Joachimus cum abesset, ejus uxorem vinculis onerat. Ille confestim advolat, sistit se, uxorem ex lege repetit. Negat uxor se exituram, sed pro marito, aut cum eo certe morituram. Oritur egregium certamen, & ad eam, opinor, diem apud Japonē inauditum, instante viro ut uxor in libertatem vindicaretur; orante uxore ut viri locum ac fortunam obire pergeret. Triduum totum tenuit amica lis: exempta demum est vinculis fortis femina; maritus victor eadem induit. Nec cessavit illa tamen urgere iudices & irritare. Cur, inquit, a viro disjungor? Si plebitur, quia Christianus; eadem mihi religio, nomen idem & crimen est. Communis utrique causa; communis esse pœna debet. Movit commiserationem excellens & afflicta virtus: vitam pati libertatemque iusta est. Non minus admirationis habuit lætitia triumphantium suis in vinculis Joannis, Michaelis & Joachimi Gisfaqorum: quod ubi primum audiverunt Episcopus & Patres Societatis, omnem abhibuerunt curam, ut ea vel ipsis eriperent, vel certe facerent leviora. Subire carcerem ardebant P. Navarrus, à quo Michael regeneratus in sacro fonte fuerat, P. Bæza & alii, quos vitæ Christianæ magistros habuerant. Hanc sibi provinciam, hanc ætatis ad octogesimum ferè annum productæ lauream, P. Organtinus præ ceteris deposcebat, pro caris alumnis mori non timidus. Sed Europæos oris color conspicuos, & sua peregrinitas invisos faciebat. Delectus igitur est, qui carcerem adiret, P. Ludovicus Niabara, Japon, eoque tectior, & Regi proceribusque, si detegeretur, minus exosus. Penetrare in custodiam, diu nocteque militibus obseptam, & nemini patentem, non potuit. Aditum parabat obtinere ab ipso Fingi Rege, oblatis muneribus. Rex quorsum veniret intelligens, prodire in conspectum passus non est. Id vero ut renunciatum fuit Gisfaqis, continuo ad P. Provinciam in hæc verba litteras dederunt: *Intelleximus allegatum a te in aulam P. Ludovicum. Si, ut in libertatem nos asserat, denunciamus unquam fore, ut assentiamur: unum hoc in votis est, mori pro Christo. Si, ut nos accendat excitetque, amplectimur caritatem, & gratias utrique agimus. Te vero, ac reliquos Societatis Patres obsecramus, ut martyrii candidatos, ac tanto indigno beneficio, commendare Superis impensè pergatis.* Eandem in sententiam ad Patrem Ludovicum scripsere. Nonnihil addiderunt de suo ergastulo, cujus tantæ erant angustię, ut recti stare semper omnes cogentur: tantus feror ob congestas sordes, & exportari vetitas, ut ethnicus cum iis inclusus, cerebro graveolentiam non ferente, ad insaniam adactus, rabidi canis instar dies noctesque ulularet. Aeris inclementia, fames, feritas custodum, pars levissima tot malorum erant. His incommodis adeo non frangebatur constantia famulorum Christi, ut in debilitatis languidisque corporibus animi valentes & erecti vigèrent. Joachimi tamen vires tot ærumnis succubere. Putrida febris correptus, & in summum vitæ discrimen adductus est. Enimvero tenere se non potuit P. Ludovicus Niabara, quin aditum rursus in custodiam tentaret. Quod munera non impetraverant, pia fraus obtinuit. Fabro carcerem, ut operis aliquid ibi faceret, subeunti quasi famulum se adjunxit, onustus ferramentorum fasce. Ad ejus conspectum æger gaudio delibutus exiit, ac delirio repente solutus est, quo tentatum ejus caput fuerat. Cum autem timeret ne, morbi & mentis emotæ vitio, quadam a pristinis moribus loqueretur aliena, & parum decora Christiano, quæ custodes ethnici, tanquam argumenta mutata religionis acciperent; distavit, auctore P. Ludovico, certas in scheda voces & suo nomine obsignavit. Deinde schedam, audientibus cunctis qui tenebantur in eodem ergastulo, recitatam dedit in manus Patri, testem

Fidei

Fidei suæ & constantiæ, quam ad extremum usque spiritum, cum integra mentis sanitate retinuit. Ex utrisque vinculis & custodiæ & corporis evolavit, post sesquiannum continuatæ mortis, sexto Kal. Septembres MDCVI. Corpus a Christianis pio sublaturum furto, delatum Arimam & in templo Societatis conditum: vir fortis ab eodem P. Ludovico pro concione laudatus est. Reliqui duo Gisiaqui perpetuo carcere, seu quotidiana potius nece, damnati hæserunt adhuc in isto ferore, in istis tenebris, totum quadriennium; nec, nisi ut raperentur ad crucem, inde sunt educti, ut postea referemus. Vivant, inquiebat rex barbarus; hæc mihi placet pœna. Mortem in beneficii loco petunt, semper a me negabitur, saltem tota; partem ejus aliquam quotidie degustent, siquidem adeo illis sapit. Cum interim in morbum ambo incidissent, orta est inter illos nobilis dissensio. Michael remedia qualibet admittebat, Joannes omnia respuebat; hic ut citius pro Christo moreretur, ille ut diutius. Pulchra contentio per P. Bæzam delata fuit ad Episcopum, qui secundum Michaellem sententiam dixit.

Imitatus Fingensem regulum Morindonus Rex Amangucii, firmissimum religionis catholiciæ columnen evertit, Melchiorem Bugendonum, in quo cernebantur collectæ virtutes omnes ac dotes, quæ vulgo sunt in aliis divisi, natalium splendor, opes, ingenium, scientia rei bellicæ, comitas, facundia, probitas. Itaque neminem habebat aula Morindoni dynasten clariorem, aut fortiorem ducem, aut ministrum gerendæ reipublicæ peritiorem. Jam ab annis duodeviginti, & quidem in oculis impiæ ac procacis aulæ, Christum colebat; in hanc unicè curam intentus, quo maxime pacto cultum illius ac regnum amplificaret. Auctoritate sua perfererat, frementibus licet Bonziis, & quidquid industria, dolo, scelere tentari potest, expertis, ut Societatis sacerdos unus Amangucii confisteret. Bugendonum perdere jampridem ardebat Morindonus odio nominis Christiani. Spectata viri dignitas ac tantæ virtutis publica veneratio tyrannum retardabat. Vicit venerationem odium: utque perdere invisum caput festinaret, incitatus est famâ, quæ mutatum Principem & Christianis infensum ferebat. Litteras etiam à Bonzio acceperat, primario Imperii administro, quibus dicebatur idem Daifusama omnino velle ac jubere, ut nostri omnes Japonia pellerentur. Eo nuncio, quamvis falso, lætus Morindonus, sacerdotem illum Societatis, qui Amangucii hætenus remanserat, cum ignominia ejecit; deinde Bugendonum promissis minisque sollicitatum, tandem palam aggreditur, & monet ut Europæo cultu relicto, inducat animum patrios colere Deos. Ille vero paratum se esse respondet ad fortunas, ad vitam & sanguinem pro Principe suo & patria profundendum; at religionem, quæ vera sola sit, & unde sempiternam expectet felicitatem, deponi a se nullo pacto posse. Imo, inquit, si poscor ad necem religionis causâ, jube me, oro, vincum, & recte collo inferta, per Amangucii vicos & compita raptari, præcone me esse Christianum proclamante. Excanduit hac oratione Morindonus, & cohorte immissa, Bugendoni domum cinxit. Ingressi satellites, ab eo, Regis nomine, obsides postularunt. Verebantur scilicet ne se armis defenderet. Sic enim est Japoniæ mos ut si reus vim fugamve tentet, obsides pari cum eo plectantur pœna: sin ultro se dedat, illi vinculis & periculo solvantur. Bugendonus, qui nihil æque metuebat, ac ne præclaram occasionem pulchræ necis amitteret, filium natu majorem & nepotem obsidum loco tradit. Postridie audit se neci addictum. Feralem sententiam sereno legit ore, ac Regi gratiam suo nomine referri per centuriones, tristis edicti ministros, mandat. Hortabantur ethnici ut cederet fortiter, & more Japonico sibi violentas afferret manus, alvo scissa: sic enim illius mortem funeris pompa meritisque decorandam honoribus. Damnavit insanam consuetudinem, seque non ut Japonem impium, sed ut constantem Christianum, mori dixit. Et procidens nudato collo ante imaginem Servatoris, promptior ad excipiendam necem, quam carnifex ad inferendam, fuit. Oblata Morindono cervix truces oculos tyranni diu pavit. Cruoris aspectu acrius exarsit ferina crudelitas: uxorem Bugendoni, filios, nepotes, generum, & centum florentissimæ familiæ capita sustulit.

Habet suos heroes in infima quoque plebe Deus, qui nobilitatem non sanguine

guine, sed virtutibus æstimat. Unus rem catholicam, ut modo diximus, Aman-
gucii sustentabat sacerdos noster, prius quàm inde a Morindono pellere-
t. Cum labori prope infinito ejus diligentia & valetudo par non esset, adju-
torem illi Pro-
videntia Numinis suggererat, qui nemini veniret in mentem, citharædum è po-
pelli fece, & hunc quidem cæcum. Is, ante quàm oculos mentis ad aspiciendam
Evangelii lucem aperiret, ostiatim perreptabat urbem, stridenti sambuca prole-
tarium aliquod carmen disperdens, ut isti fidicines circumforanei solent. Adjunge-
bat rancidas anilium historiarum nœnias, quibus servitia & otiosam plebeculam
tenebat, innata facundia pollens, & ingenio nequaquam plebeio. Paucis post
susceptum baptismum diebus, omnia Fidei mysteria sic arripuit, ac penitus in-
mente defixit, nemo ut ea meliùs calleret, vel felicius explicaret. Perrexit, ut
prius, obire domos, quas habebat semper patentem, & artem pristinam exerce-
re; sed animo alio, alio successu: pro fabellis effata, pro mendacis utiles histo-
rias, haud minori gratia & eloquentia exponere. Pendebant omnes ab ore di-
centis, & quos non erudita conciones, non sacrorum auctoritas librorum, non
exempla virtutum clarissima movebant, unius Damiani (erat hoc citharædo no-
men) vox ereptos superstitioni vitiisque, Christo & veritati mancipabat. Quid
quod, pulso in exilium sacerdote, ipsius implere locum visus est Amangucii. Ver-
ba faciebat ad frequentem populum, baptismum expiabat ethnicos, mortuos terra
mandandos curabat. Fidem addebat ejus verbis auctoritas mira non solum in-
homines, sed in ipsos etiam humanæ salutis hostes, quos pro imperio ex occu-
patis corporibus exigebat. Morindonus novum Evangelii præconem, eò progres-
sum vel audaciæ vel felicitatis admiratus, isto quoque præsidio Christianos spo-
liare properavit. Satellitibus occurrit Damianus, & ad tribunal processit ultro,
ubi statim in Christianæ religionis laudes ingressus, judices attonitos silentisque
perculit; maxime cum gravissimas difficultates, quas opponebant, tam perspicuè
solvi animadverterunt, ut oblatam ab oculatissimo cæco lucem non possent non
cernere: fortunati si cognitam sequi studuissent! Non ausi sunt tamen fumera
supplicium de illo palam; comprehensum intempesta nocte strangularunt, & cor-
pus frustatim sectum partim in profluentem abjecere, partim in vicinum depor-
tarunt nemus. Ita Morindonus præceperat. Suum interim in his procellis cur-
sum, etsi lentius & occultius, religio tenebat, Meaci potissimum, Fuximi, & Oza-
cæ. Meaci debebat ut plurimum Dayrus: est hic Japonicarum religionum velut
antistes. Fuximi morabatur Daifusama: Ozaca Fideyoro Principe, Taicosama
filio, herede imperii, ut spes & jus erat, gloriabatur. Ac in ea quidem urbe du-
centi anno MDCV. ad fidem accessere: totidem Fuximi; Meaci vero ferme qua-
dringenti. Plurimi, ad Christum pridem & Ecclesiam aggregati, multa Christianæ
pietatis nec levia dedere documenta. Nemo illustriora, quàm Constantinus Bun-
gi rex, regis Francisci filius; paternæ quondam pietatis & religionis oblitus;
perfidia, libidine, ignavia, male notus; nunc misericordiæ divinæ, & pœnitenti-
æ Christianæ exemplum ingens, & posteris seculis memorabile. Aula, uti di-
ctum antea*, pulsus, exutus regno; & agrè vita donatus, eam in angulo Japo-
niæ miserrimam trahebat apud regem Devæ, quo subinde exauctorato, coactus
est Patrum ac paucorum, qui Francisci regis amicitiam coluerant, liberalita-
tem implorare. Magistra ferè virtutis est adversa fortuna: quos felicitas excæca-
verat, iis oculos restituit calamitas. Tot malis obrutus infelix Princeps agnovit
illorum causam, seipsum ac sua flagitia. Ultori Deo gratias egit, eique ad pœ-
nas de se sumendas, operam ipse non segnem quasi commodans, jejunio, cili-
ciis, immiti corporis non robusti nec valde sani verberatione, crimina sarcire la-
boravit. Quamobrem voluntariis pœnis consumptus, susceptis insigni pietate
sacramentis, tantum Patribus & universo Fidelium cœtui voluptatis moriens at-
tulit, quantum offensionis antehac & maroris intulerat.

* *Suprà. n. 7.*

S. X.
P. ALEXANDRI
VALIGNANI OBI-
TUS, ET VITÆ
SUMMA.

Hoc opere feliciter confecto P. Alexander Valignanus cessit è vita libens, &
gloriosis laboribus finem imposuit. Lucem hauserat Theateæ in Italia, anno
MDXXXVII. A parentibus genere ac virtute claris probe institutum exceperat aca-
demia Patavina, & lauream doctoris promerenti donaverat. Roma, honorum spe
juventi

juveni blandiens, ingenio & eruditione florentem invitavit. Spes latissimas alebat Pauli IV. non obscurus favor: sed brevi doluit ejusdem Pontificis morte succisas. Paulisper tamen in Cardinalis Altaempfi familiam adscitus, Auditoris apud illum partes egit; sic eos appellant, qui præsto sunt Cardinalibus, ad extricandos legum nodos, & informandam negotiorum primam cognitionem. Eas partes quamvis obiret impigrè, tamen rerum humanarum inanitatem apud se reputans, atque aulicam servitutem pertæsus, religioso se jugo subjecit, & à S. Franc. Borgia in Societatem cooptatus est anno MDLXVI. Primum omnium virtutis religiosæ ac perfectionis imaginem egregiam animo impressit, ut ejus omnia lineamenta in suis moribus exprimeret. Itaque à domanda carne, quem domesticum & pertinacem virtus hostem habet, exorsus, asperrimum induit cilicium, quod nunquam nisi mortuus, exiit; jejunia continuavit; addidit reliquas vitæ severioris artes. Inde gradum fecit ad impotentes animi motus componendos, & ad se vincendum: cujus victoriæ instrumenta præcipua humilitas & obedientia sunt. Percepta sic diligenter scientiâ virtutis, idoneus est visus qui aliis eam traderet: ac tironibus Romæ instituendis, postea inspiciendæ & gubernandæ per Indiam Societati est præpositus. Hoc Vistoris munere ornatus, sive, ut ipse credebat, oneratus, Roma discessit in Lusitaniam anno MDLXXIII. cum lectissimo comitatu; nam Socios triginta duos ex Italia, Hispania, & Lusitania, deducebat. Goam cum illis devectus, & Goana Societate composita, Indiæ cis Gangem peninsulam, quæ ad caput usque Comorinum excurrit, totam peragravit. Inde Malacam, denique in Japoniam, quo illum sua dudum ferebant vota, pervenit: ac statim Societatis Patres convocavit, ut ex illis, quid providendum, quæ quibus rebus adhibenda essent remedia, cognosceret. Totam Japoniam tres in partes distribuit; suos unicuique parti operarios; operariis præfides, imposuit. Præterea domum Probationis assignavit nostris tironibus ad religiosam perfectionem educandis: collegia verò Meaci, Arimæ, Nangazachii, iisdem in litterarum studio exercendis: denique Seminaria, Japonicæ juventuti erudiendæ, certis in locis constituit.

Rem Iaponicam Nobunanga tunc administrabat, Christianis non insensus. Sed Arimæ rex in eodem sæviebat. Valignani tamen litteris oratus; mox illius presentia, comitate, sapientia delinitus, deposuit feritatem, quosque perdere decreverat, fovit; ab ipso demum baptizatus Protasii nomen, atque animum patroni legis Evangelicæ, sumpsit. Erat illi grave bellum cum subdito perduelli Riosogo: hunc adit Vistor, & perduellionem ex animo, arma de manibus eripuit. Quo beneficio rex Arimæ majorem in modum conciliatus, votum de falsis Numinibus regno suo penitus exterminandis solenne dixit: iis dicata templa quadraginta diruit: quædam illustriora in sacras ades convertenda dedit. Sic totus cum suis in Christi jura cessit. Valignanus Iustratis Iaponiæ præcipuis urbibus, & Christiana re constituta, perfecit ut Iaponia suis in legatis ad Summi Pontificis pedes advoluta, obsequium & debitam Christi Vicario fidem profiteretur. Hæc triumphatæ superstitionis egregia spolia cum ad Vaticanam limina perducaturus Indiam attigisset, litteras à Præposito Generali accepit, quibus jubebatur ibi consistere, ut Indicam provinciam administraret. Ergo, dimissis non sine dolore juvenibus regiis, quibus in loco parentis erat, eosdem, confecto feliciter tanto negotio, ex Europa reversos deduxit in Iaponiam, ut explicuimus in hujus libri limine: ac paulo post reginam Arimæ, regem Ingæ, proceres multos, Ecclesiæ addidit; eidemque Constantinum regem Bungi reddidit.

Haud minus Valignano Sinæ debent, quàm Iapones. Ille Michaellem Roggerium, Matthæum Ricciam, & alios, quorum ope illata vastissimo imperio lux Evangelii fuit, evocatos, omnibus præfidiis ad rem tantam necessarios instruxit. Quibus rebus id consecutus est, ut non immerito alter à Xaverio Indiarum Apostolus nominetur. Et erant illi divinitus data dotes egregiæ, summis rebus & designandis & perficiendis pares; ardentissimum divinæ gloriæ ac salutis alienæ studium: ingenium sagax ad captandos negotiorum dextros aditus; pectus invictum periculis: constans & firmum in bene cœptis ad exitum perducendis; laboriosum & efficax in adhibendis sive rerum bene gerendarum auxiliis, sive male gestarum reme-

Exstat P. Valignani vita Italice per Abbatem Valignanum scripta, & Romæ edita an. 1698.

37.
Ejus dotes præcipuæ ac virtutes, earumque fructus.

remediis. Quemcumque muneri cupiam præficere, huic tradebat exaratam ferme scripto, viam omnem quam insisteret. Exstatque in tabulario domus Romana magna vis ejusmodi consiliorum, deliberationum, quaestionum: unde patet quam longe lateque aciem perspicacissimæ mentis intenderet.

His artibus Socios in Japonia difficillimis temporibus felicissimè gubernavit. Amplius triginta fundavit Societatis domicilia; trecentas ades sacras condidit, ac necessaria suppellectile ornavit; sodalitates & xenodochia passim instituit: dedit operam ut nostri, quoad ejus fieri posset, certis congregati locis degerent; aut, si nequaquam id temporum ac locorum ratio ferret, saltem ut identidem convenirent in unum, deliberarent inter se; ac pietatis gustum, qui tumultu & varietate occupationum obtunditur, sacris meditationibus acuerent: sapienter existimans, hoc rei caput ac summam esse ut omnes vitæ perfectæ virtutisque se dederent; & ita ceteris utilem navaturos operam dictitans, si primum sibi ipsis utiles esse studuissent. Nongentos ferè Christianos, in iisque plurimos è prima nobilitate, fortunis & patria propter Evangelium spoliatos, alebat. Typographiam ex Europa in Japoniam intulit: nec non artem pingendi, quæ pias tabulas ornandis templis subministrat; & scripta in libris mysteria, oculis subjicit. Neque illud prætereundum est, ejusdem curis ac diligentia magnam partem deberi quæcumque in his annalibus de Japonia referuntur. Quippe uni è nostris hanc dederat provinciam, ut mandaret litteris quidquid rescire posteritatis interesset. Ea jubebat examinari accuratè, & à multis perlegi, tum in Europam quotannis, ut in lucem ederentur, transmittetur. Tantum verò illius probitati ac prudentia tribuebat Aquaviva, ut ad eum aliquando scripserit his verbis: *Cum in Oriente versaris, isthic me versari puto: Societatis partem tibi demandatam non ego melius, nec Societatem universam tu ipse, si esses hic, deterius gubernares.* Philippus vero secundus, rex Catholicus, cum ab India litteras acciperet super aliquo gravioris momenti negotio, nihil amplius deliberandum aiebat, posteaquam Valignani mentem sententiamque cognoverat: idem Cardinalis Austriaci, qui Lusitaniam administrabat, de illo iudicium; idem Purpuratorum Patrum, quibus propaganda Fidei cura incumbit; idem Summorum Pontificum fuit.

Tot egregia dotes peculiari comitate ac lenitate condebantur. Quidquid inditum ipsi fuerat a natura severitatis, in se unum convertebat. Somni brevissimi leves inducias carpebat humi, abjectus in storea, nudissime tabulis: cibo reficiebatur per diem semel, eoque tam parco, ut moveret admirationem ejus corporis proceritatem intuentibus, & assiduam tot itinerum, tot curarum, defatigationem; egerintque cum Præposito Generali Patres Japonii, ut statueretur aliquis tantæ auferitati modus. In gravissimis, quas insigni constantia pertulit, Ecclesiæ Japonicæ perturbationibus, nihil æque illum erigebat, ac spes fundendi pro Christo sanguinis: in rebus vero prospere sapienterque gestis, eundem deprimebat humilis animi Christiana demissio, successus rerum secundos prudentia superiorum, inferiorum precibus laboribusque tribuentis. Nullum onus sentiebat gravius honore præcipuorum, quæ gessit in Societate, munerum, idque non semel excutere conatus est. Hujus religiosæ demissionis altissima jecerat fundamenta, jam tum ab initio tirocinio, nec non suavissimæ cum Deo per continuam orationem familiaritatis; in qua sic erat acquiescere solitus, ut eâ refici maximis in ærumnis videretur; & à precatione faceret negotiis omnibus initium, eadem illis finem imponeret. Audita ejus morte, quæ in XIII. Kalend. Februar. anni MDCVI. incidit, cum annos vixisset ipse LXVII. seque Macai compararet ad lustrandam in imperio Sinenfi Societatem, Claudius Aquaviva indixit omnibus nostris sacerdotibus unum sacrificium, præter consueta quæ sunt pro mortuis in Societate. Propter egregias, inquit, *viri de Societate universa tam præclarè meriti labores ad divinam gloriam promovendam, in India Japoniaque tandiu tam fortiter toleratos.* Pari prudentia & probitatis existimatione floruit apud ipsos ethnicos, quorum dynastæ ac reges dignitatem sanctimoniamque religionis, etiam cum illam vexarent, in eo venerabantur ac suspiciebant. Ipse Daifusama publicum ejus virtuti testimonium haud semel dedit, & ab eodem sæpe placatus æquorem se Christianis præbuit.

præbuit. Quamvis enim erumperet interdum ejus furor, sibi tamen ipse modera-
batur, id impensè cavens ne quam civili discordiæ daret causam, neve com-
mercium graviori quopiam vulnere debilitaret, quod Lusitanorum opibus vigere
cernebat. Itaque P. Ludovicum Cerqueiram Iaponiæ Episcopum perhonorificè
accepit anno MDCVII. admonitus a Nangazachii gubernatore quanta esset Epif-
copi apud Lusitanos auctoritas, quantum in eo uno momenti ad fovendam con-
cordiam, & commercium stabiliendum. Singularem quoque benevolentiam & honore
prosecutus est accitum in aulam Patrem provinciæ præpositum: mirantibus cun-
ctis, qui superbum Principem norant solitum adeuntes ad se reges ac tetrar-
chas tacito nutu accipere, ac sæpe ne nutu quidem aut aspectu dignari. Cum
Provinciali diu & familiariter locutus, ejus munuscula ostendit aulicæ nobilitati,
ac multa de illo deque Societate benigne commemorans, pergratum sibi fore signi-
ficavit si Patres Xogunum, filium suum, inviserent.

Degebat Xogunus in urbe Yendo, quam propugnaculis, palatiis, ceterisque
regiæ magnificentiæ monumentis ornandam Daifusama curaverat. Huc delati So-
cii anno MDCVII. Christianos opportunis animorum subsidiis, ac potissimum
spe mitioris fortunæ recrearunt. Adducti gravem in metum erant imperatoris
edicto, qui cum Xogunum conveniret ante biennium, certior factus de Christi
cultoribus in hac urbe commorantibus, gubernatori præceperat eos ut perscru-
taretur, ac solum vertere aut religionem cogeret. Gubernator eò mandatum
istud pertinere intelligens, ut omnibus potius terror incuteretur, quam ut pœna
cuiquam imponeretur, satis habuerat edicere ne quis deinceps Christo nomen
daret. Spreverant edictum defensores generosi veritatis. Multi facultatem dispu-
tandi petierant; nonnulli etiam exulandi aut moriendi. Discussit metus istos ad-
ventus Patrum, & Xoguni perspecta in illis excipiendis humanitas. Magnam
ipsis habere se gratiam dixit, quod iter tam longum, sui visendi causa, susce-
pissent; daturum operam, ne quid aut officii apud imperatorem, aut beneficii
a se desiderarent. Duo Principis pueri moderatores erant, Fondasadonus & Sa-
gamidonus, ambo Christianis & Societati nostræ amicissimi. Eos cum paucis post
diebus P. Provincialis salutaret, rogavit enixè ut Xoguno significarent, id unum
Patres ab eo petere, ut Christi legem auctoritate sua patrocinioque tueretur: vi-
gere in Iaponia & regnare sectas plurimas ac religiones, alias aliis dissimiles, at-
que adeo contrarias; jus tamen ac fas indigenis esse, quam vellent sequi. An-
nueret ac juberet ut divina lex, rationi tam consentanea, tam apposita ducendis
ad omnem honestatem mortalibus, & in debito suis Principibus obsequio con-
tinendis, eodem jure ac libertate gauderet. Æquum postulari Fondasadonus res-
pondit; promisitque se nullo defuturo loco, ubi tam justis favere votis posset.
Egit gratias Provincialis, & Nangazachium repetiit. Aliqui ejus comites iter
in remotissimas Iaponiæ partes, Societati adhuc inaccessible, Septentrionem versus
intenderunt. Ibi Christiani aliquot reperti sunt, religionem olim, cum peregrè Mea-
cum aut in alias urbes irent, professi. Sacris mysteriis expiati fuerè, tanto sua-
viori gaudio, quanto minus id boni expectaverant.

Dum Patres Fidem in extremis Iaponiæ finibus alebant, eandem fovebat in
imperii sinu Iaponensis Episcopus. Sedes illius Nangazachii. Civitatem in pa-
roccias quinque diviserat, quibus præfecerat parochos ex ipsa fermè oriundos Ia-
ponia. Sodalitates duæ, altera IESU altera MARIÆ nomine insignitæ, florebant
& numero sodalium & pietate. At Meaci academia fuit a Patribus instituta,
in qua traderentur disciplinæ, quibus avida sciendi natio capi, & ad veritatis
Evangelicæ cognitionem perducere sensim posset, id quod in Sina, P. Matthæo Ric-
cio duce, Socii tam feliciter usurpabant. De ingenio Sinis Iapones non conce-
dunt; exercitatio doctrinæ apud illos non ita frequens: toti sunt in bello; nec
bene Marti cum Musis convenit. Brevi recentem academiam implevit selecta pro-
cerum ac nobilitatis promiscuæ multitudo. Proponebatur terrestris globus, in
suis descriptus partes & regna: tum cœlestis, in eoque sidera partim fixa, par-
tim errantia, quos planetas vocamus. Eorum numerus, amplitudo, motus, de-
fectiones explicabantur. Unde oriatur dierum inæqualitas, æstatis & hyemis rata

38.
Patres filium
Daifusame con-
veniunt, & ulti-
mos Iaponiæ fi-
nes lustrant.

39.
Religionis pro-
gressus. Aca-
demia Meacensis.
Christiani olim
à S. Franc. Xa-
verio exculti.

conversio; quæ vis fulmina torqueat; quo pacto eadem aqua è mari, fluvis, & paludibus leniter emergens assurgat in nubes, in imbres decidat, concresecat in grandinem, lapidis ritu; solvatur in nivem, instar lanæ mollissimæ; in fumosam nebulam cineris more spargatur; stillet in rorem, rigescat in pruina; in flumina & fontes fluat. Mirari primò qui audiebant; mox de rerum istarum effectu ac moderatore Deo, de immortalitate animæ, de altera vita, de improborum poenis multa, quæ ne suspicati quidem unquam erant, discere; ac demum religionem & Christum doceri: quam olim rationem & viam a S. Francisco Xaverio adhibitam annales Japonici tradunt. Nec levis inde conciliata fides & auctoritas magistris religionis. Illorum eruditionem tanto suspiciebant magis, quanto suorum Bonziorum inscitiam certius noverant: quos cum cernerent in rebus naturalibus, & ante oculos positis cæcutire, in cœlestibus ac divinis prorsus nihil videre satis intelligebant. Haud minorem vim habuit ad illustrandam religionem publica pauperum domus a Patribus ædificata, cum nosocomio. Mirifice populo placuit hæc gratuita caritas, quæ virtus apud Japones antea vix erat audita. Hæc Fidei veritatem compluribus ethnicis persuasit, quorum octo millia, præter infantes, Fidei sacramentum anno MDCVII. susceperunt: Japonensis verò antistes viginti circiter neophytorum millia variis in locis sacramento Confirmationis roboravit. Sui pastoris exemplo incitati Socii se in omnem Japoniam effundebant, ad imperium Christi amplificandum. Unus in Saxumanum regnum ingressus, ejus partem reperit a S. Francisco Xaverio diligenter olim tum exemplis vitæ, tum prodigiis excultam; non procul Cangoxima. Supererat adhuc Principis, huic regioni tunc imperitantis filia, sexaginta circiter annorum, pietatem ab Indiarum Apostolo cum baptismate haustam medios inter ethnicos retinens. Honoratus vero senex de patre suo ita narrabat. Moriens me vocavit, ac mihi bene precatus tradidit coronam B. Virginis, & vasculum aqua consecrata plenum: & Hanc habe, fili, fortunarum quas tibi relinquo partem præcipuam, inquit. Id muneris accepi a viro sancto, cui nomen Franciscus; quem ex altero & longinquo profectum orbe, ut nos cognitione veri Numinis imbueret, excepi domi meæ. Ab eo factus sum Christianus, & quemadmodum aliis hoc impertirem bonum, didici, quod tibi, cum primum natus es, non negavi. Hoc rosario, hæc lymphæ morbos omnes fugabis. Experto crede. Nec falsam senis fuisse vocem filius affirmabat. Quærenti vero sacerdoti nostro qui fieret ut exigui vasis aqua morbis tam multis sufficeret a tot annis, respondit, quantum hauriebat, tantumdem a se refundi, recentemque veteri permixtam, eandem vim adipisci. Alius è nostris in eodem Saxumano tractu novam quandam deprehendit sectam a ceteris abhorrentem, & è Christianorum ductam fontibus, sed vetustate atque inscitia depravatis: *Lingucuxam* appellabant. Senes duo illibatam & integram unius veri Numinis notitiam conservarant. Ex eorum responsis patuit, ipsorum parentes a S. Francisco Xaverio fuisse institutos: quo alacrius opera posita est in repurgando a superstitionum & vitiorum spinis agro, quem tam perita manus conseverat. Inter illos quorum animis instita fuit per baptismum Fides, accepit MARIÆ nomen anus oppidò annosa, quam fama veneficam prædicabat. Hanc, priusquam sacro lavaretur fonte, interrogavit sacerdos numquid superstitionis aut magicæ suppellectilis haberet. Deprompsit è sinu coronam Deiparæ, attritis globulis; unde accepisset ignara. Quæsitivus Pater quos ad usus illam adhiberet. Impono, inquit, agris, ac simul Deum precor, ut ipsis restitutam sanitatem velit, si ex ipsorum re & sua gloria esse judicet. Ostendit etiam sacculum sericum, sane pervetustum: in quo erat frustulum ligni, charta involutum, addita inscriptione, *Lignum Crucis*. Item numisma sacrum, & cera cœlestis Agni effigiem exhibens. Tum: Quid ista sint, inquit, plane nescio; hoc unum scio, certam illis ad morbos omnes curandos vim inesse. Docuit aniculam felicem Pater quantum servaret boni, neque dubitavit, quin thesaurus iste a S. Francisco Xaverio profectus primum esset. Ceterum ut minor spe fructus ex illa segete caperetur, fecit tum Bonziorum invidia, tum Canzagedoni, regnum hoc administrantis, crudelitas: dissimulante Daifusama, qui omnem arripiebat occasionem debilitandi partes Christianorum, & gradum

gradum ad eos perdendos sensim fieri per infensos illis Bonzios & regulos gaudebat. Puellæ quædam nobiles avitam superstitionem abjecerant in aula Fideyori. Erat hic, ut sæpe monuimus, heres imperii, cujus in spem educabatur Ozacæ, cum matre, uxore Taicolamæ vidua, femina ritibus patriis addictissima. Hæc ubi puellas audivit Christo nomen dedisse, vehementer exposulavit cum Daifusama. Qui ut impotenti feminæ, a Bonziis instigatæ, animum expleret, negotium dedit gubernatori Ozacæ ut edictum, in hæc verba, voce præconis promulgaret: *Renunciatum est imperatori plurimos Christianam legem contra vetitum amplecti. Vim suam pristina obtineant edicta. Nemo deinceps peregrina sacra suscipiat: & ea quicumque susceperit, deponat.*

Quamvis facile omnes intelligerent datum hoc à Daifusama Principi feminæ, cui tantisper obsequabatur, donec suam adepta maturitatem essent consilia, quæ in ejus & Fideyori perniciem tacitus agitabat: nihilominus edictum atrox Ozacæ promulgatum animos regibus ac dynastis fecit ad impune quilibet audendum in Christianos, ac præcipuè Morindono regi Amangucii. Religionem ibi sustentabant Canosangus, ejusque frater Justinus. Hunc furti per calumniam accusatum Morindonus raptari triduo per oppidum, & vivum concremari, ejus uxorem in crucem tolli, jussit. Ad supplicii locum perductus, paucis de sua innocentia; pluribus verbis de Christianæ religionis sanctitate ac necessitate, peroravit. Cujus, inquit, veritas ut vobis constet, immotus inter istos ignes ad extremum usque spiritum stabo. Vos Deum hunc pro vero & solo Numine habetote, qui tantam suis fortitudinem & constantiam aspirat.

Dixit, & sacram reliquiarum thecam circumdedit collo; manum sinistram rosario armavit: dextra palum complexus, illi affixus hæsit, instar statuæ marmoræ, nullum doloris indicium edens vel gemitu vel motu levissimo; crepitanibus, quæ novem circum pedibus abstabant, flammis, ac vivos artus lenta morte depascentibus. Parem constantiam ejus uxor, sublimibus vestigiis cruci affixa, præ se tulit. Fraternal cadaver crudeli ereptum busto sepelire decrevit Canosanchus, hortante amico, virtutis egregiæ Christiano, Quimura Mancio: ambo carum pignus noctu avehunt. Prima luce postquam desiderari corpus percubuit (capitale id crimen Japonicis legibus est) suspicione in Canosanchum, ab omnibus conjecta, in jus vocatur. Sed amicus antevertit: & ablatum a se cadaver confitetur. Adest Canosanchus; se facti ducem, Quimuram adiutorem duntaxat fuisse clamat. Judex admiratione tantæ virtutis, & in amicos fideles benevolentia suspensus, causam in quinquagesimum usque diem extraxit. Monitus interea Morindonus omnem regiæ majestatis & potentie vim explicuit, ut Canosanchum vel flecteret vel frangeret. Ubi constantem in religione Christiana, cernit, Abisis, inquit, verba novissima uxori tuæ, & matri dic, postridie moriturus. Sperabat uxoriis artibus & blanditiis vincendum: illas quoque vicit. Invictum heroem tyranno eripuit repentinus casus. Obiit per eos dies matertera ipsius Morindoni. Omissis aliis curis domestico vacare luctui coactus est. Interrogati Bonzii de matronæ obitu, ejusque causa, responderunt necatam fuisse ab illo, cujus in tutela feles erant, Deo: quia passa fuerat domi suæ felem à cane strangulari. Nam felibus honor illis in locis maximus habetur; & quoniam muribus feles vescuntur, mures vivunt nocentque impune, donec ab aliquo fele percant. Aliud ipsi exitium moliri nefas. Igitur placare numen istud felibus præpositum oportuit, indictas obire carimonias, ædem sacram ponere. Alia intervenero, gravius momenti negotia, quæ Morindonum in aulam festinare coegerunt.

Eluxit in Saxumano regno alterius Christiani constantia, Leonis nomini quod gerebat, consentanea. Sæpe interpellatus ut ad vetusta sacra se referret, omnibusque tentatus modis, eripi vitam sibi posse dixit, Fidem non posse: viro nobili formidandam non esse mortem; optandam Christiano. Missos domum, lictores latus vidit: neque cruentam cum illis suscepit dimicationem, quæ illic morituris nobilibus conceditur. Instantibus ut saltem alvum sibi ferro scinderet pulcrum id ethnico esse respondit, turpe homini, vetitum Christiano. Hæc locutus auro pictas induit vestes, os manusque lavit: uxori supremum vale sine lacry-

K k k k 2 mis

40.
Reguli quidam religionem vexant, Daifusama non prohibente. Christiani complures arumnis, igne, ferro, consumpti.

mis dicere non potuit, ejus vicem dolens (nam falsis adhuc addita Diis erat) &, Si me amas, inquit, conjux carissima, si reddi mihi post obitum cupis, Christum cole. Si enim pergis sicca colere Numina, necesse est divorcio nos dividit sempiterno. Alterum è liberis ethnicum habebat, annos natum septemdecim: alterum sexennio paulo majorem, & nuperrimè baptizatum. Hunc suavissimè deosculatus, Disce, ait, ex me, fili, vitam potius quàm Christum perdere: alterum verò, suspirans hortatus est ut sua potius, quàm materna exempla sequeretur. Familiã valere jussã, in publicum prodiit, ut se mori Christianum propalam testaretur. Ibi depositis gladio & pugione, sumit in manus imaginem Servatoris, & Virginis rosarium: ac paulisper Deum precatus, innuit licitori, demessoque capite præclarum Christo testimonium dedit. Incidit illius generosa mors in XV. Kal. Octob. anni MDCVIII.

* *Suprà. n. 36.*

Durissimo carcere tenebantur in eodem regno Saxumano, Michael & Joannes Giffaqui: quorum antea primum certamen delibavimus*, triumphum modo referemus. Perangustis utuntur Japones carceribus, humili tecto, sæpe nullo. Clauduntur palorum septo, interdum duplici, quo prætereuntium aspectus & ludibria non excluduntur, nec frigoris acerbitas aut caloris arceatur. Excubat circum pervigil custodia: intus conferti stant (nam jacere aut cubare per carceris angustias non licet;) sordibus, quas remittunt corpora, & vermibus ex ea colluvie natæ cooperti; madentes imbris aut nive, solibus perusti, eneçi fame. In ejusmodi ergastulo computrescebant Giffaqui, ac moriebantur ab annis quatuor; nullo majore solatio sustentati, quàm Patrum litteris, alloquio, cura. Interrogatus aliquando Canzagedonus, quid iis fieri tandem vellet, Religionem, inquit, peregrinam verante me susceptam nece adutum luan. Igitur III. Idus Januar. anni MDCIX. capitis sententia in utrumque dicta. Petiit Michael ut in crucem tolleretur, imitandi Christi causa: Joannes, ut membratim dissecaretur. Dabitur quod optas, inquit judex: id enim à Canzagedono mandatum habebat, ut mortuorum corpora frustatim concideret, ne ad venerationem à Christianis auferrentur. Prodieunt injecta collo reste, promissa barba, incompto capillo, & gloriosis sordibus aëtori; eminente in vultu, in ipso gradu, læticia; situmque foedissimi carceris, ac pædorem squalidi oris & macilentæ superante.

Dum ad locum supplicio destinatum properant, quærebantur ipsorum liberi, Petrus Joannis, Thomas Michaelis, filius; paternæ focii pœne & felicitatis futuri; tenellæ & innocentes victimæ: alter sex, alter duodecim annos natus.

Thomæ parentes martyrii cupiditatem puerulo tantam inleverant, ut cum flebiliter vagiret, more infantium, placaretur subito, si dicerent martyrem non fore; neque enim daturum sanguinem; qui lacrymas tenere non posset. Statim atque rescivit indictam sibi necem, lautiores induit vestes, & licitoris dextræ se implicans, orabat ut moras omnes abrumperet, seque caro parenti sisteret cum eo moriturum. Quem ut vidit, Adsum, inquit, mi pater; simul hodie in cælum pergimus; mortem non perhorresco, quæ illuc ducit. Interea crebrescente populi concursu, prætor tumultum veritus, ibi, ubi tum erant, necari jussit. Michaeli caput extemplo amputatum. Thomam ejus filium a conspectu cadaveris abducebatur centurio; restitit puerulus, &, Sine me, inquit, in complexu parentis mori. Flexit genua, parvulas complicit manus, JESUMQUE & MARIAM blande vocitans, cerviculam ferro decisam posuit. Joannes Giffaquus, oculis ad cælum sublatis, Superos pia prece, deinde populum vocibus appositis compellans, mox ore læto truncandum offerens caput, lacrymas & planctum ingentem omnibus excussit. Restabat sexennis ejus filiulus. Dormientem in ædibus avunculi milites invenerunt, suscitant, docent necatum patrem, ipsi pariter esse moriendum. Ferali nuncio non turbatus puer, ita se porro velle respondet, militisque vestem manu apprehendens festinantem sequitur. Viam obsidebat flens & attonita multitudo, quacumque tener agnellus ad carnificinam rapiebatur. Ut locum attingit recentem manantem cæde, ac paterno cruore fumantem, submitit genua, extulit caput, collum explicuit. Junctis ante pectus manibus, istum expectabat: sustuleratque acinacem carnifex; at puero sic viso, manus dirigit; animus cum ferro concidit.

Idem

41.
Duorum puerulorum admirabilis animus in obeunda pro Christo morte.

Idem aliis duobus contigit. Commiseratione moti, cum jam gladium librarent, cohortuerant. Arreptus igitur est vilis & circumfusa plebe servus, qui ferri tractandi rudis, primo gladium humeris incussit ferociter, puerumque dejecit: tum gemino vulnere appetiit collum: denique caput avellere cum nequiret, secuit: turbâ clamoribus, & ululatu lamentabili, crudelitatem execrante. Libet hîc *fi-
nianscula pepercit atati! imò magna vis Fidei, qua etiam ab illa testimonium in-
venit atate. Qui non habuit, quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret:
mori adhuc nescius, sed paratus; nondum idoneus pœna, & jam maturus victoria.
Stupebant universi, quod jam divinitatis testis existeret, qui adhuc arbiter sui per
atatem esse non posset. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset; tre-
mere percussoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puer non time-
ret suo.* Subducta fuit à Christianis huic lanienæ Michaelis Giffaqui filia. Oc-
cultè Arimam perducta, & publicatis paternis bonis ad summam redacta egesta-
tem, à Societatis Patribus alebatur. Non defuit Superûm cura. Nobilis ac locu-
ples Japon eam petiit filio suo uxorem. Monitus de puellæ inopia, Mihi fatis est,
ait, quod martyris filia sit: hac dote placet.

**Lih. I. de Virgi-
nibus.*

Suas quoque victimas eodem anno Firandensè regnum Christo immolavit. Gaspar Nixiguenca, Jamandæ dynastes, genere ac pietate Christiana nobilissimus, Ursulam, parem nobilitate ac virtute feminam, duxerat. Domus florebat opi-
bus & prole numerosa: liberorum natu maximus Joannes Niximataiquus, ejus-
que soror Maria, deliciæ utriusque parentis, & merito quidem, erant. Sed Ma-
riam infida matrimoniorum conciliatrix forma detulit in familiam Chifani, ethnici
perditissimi, cujus filio negari conjux non potuit. Chifanus Christianam nurum
non ferens, vexare illam tam atrociter instituit, ut relicto viro & focero ad pa-
trem profugerit. Exarsit Chifanus, revocat nurum, cunctantem urget minacibus
litteris, ac denunciat fore ut ipsam accuset apud regem nomine Christianæ reli-
gionis, & familiam certissimo perdat omnem exitio. Mariam non tam angebat
sua salus, quam parentum & fratrum, quos secum unâ videbat esse perituros. Ab-
erat pater, tabellarius responsum flagitabat. Consulto Deo, respondet focero ge-
nerosa mulier, fugæ sibi causam religionem fuisse, causam eandem esse longioris
in ædibus paternis moræ; sibi omnino deliberatum perire millies potius, quam
ab illa desciscere. Gratum est, inquiebat, quod mortem minitaris; optat illam
Christianus, non timet. Hanc si per te consequar, plus multo tibi quam ipsis
parentibus debebo, per quem vitæ multo melioris compos fiam. Laudavit filiam
redux pater, quod ita scripisset; ejusque litteras valde ad suum stomachum fa-
cere testatus est: desiderari dantaxat aliquid salis dixit, quod aspersisset ipse, si
adfuisset. Indignatus focer, communicatis cum potente Bonzio consiliis, regem
Firandi monet exerceri palam a Christianis peregrinam religionem, pessum ire
patrios ritus, ejus leges & imperia contemni. Rex impius & libidinofus Bonzio
negotium dat, ejusque præcipuis aliquot sodalibus, ut Christianos quoscumque
deprehenderint, in jus rapiant. Pergunt illi recta in insulam Ichizuchiam, ubi
Gaspar Nixiguenca degebat: eum Christo cum omni familia deditum comperiunt;
ab ipso baptizari absente Societatis Patre pueros, indici populo festos dies & je-
junia: magna vis piorum librorum ejus domi deprehenditur. Injicientibus vincula
militibus paulum obstitit, negans moris esse ut vir nobilis indemnatus & inau-
ditus vinciretur. At Bonzii: Christianus es, inclamant; sceleris hoc satis, satis
ad necem causæ. Quibus, ille. Si Christianum esse, criminis loco ponitur, ultro
fateor, inquit; necem eo nomine non recuso.

Captum illico vincumque amici convenerunt, crudeli commiseratione per-
moti. Orabat civitatis præfectus ut, si vilem capitis sui duceret jacturam, uxori
saltem suæ liberisque parceret. Nihil exoravit; imo de legis Evangelicæ gloria
& necessitate audivit multa, quæ nollet. Rogavit Gaspar ut in crucem agere-
tur: negavit gubernator id in sua esse potestate: saltem ut in eo loco neceretur,
ubi Crux paulo ante fuerat erecta. Concessit. Educta deinde suis ædibus, ubi a
militum cohorte servabatur, uxor Gasparis Ursula, cum Joanne filio. Exilium
ipsis

ipsis irrogatum esse centurio simulabat, ut metum mortis demeret: sed inter eundem lictor stricto acinace Urfulam percussit. Letale vulnus non erat, aberrante paulum ferro. Procidit generosa mulier in genua, & istum alterum feliciter impavida excepit. Ad matris gemitum, respexit qui præibat Joannes, inque ipso temporis puncto carnifex juveni cervicem improvisus abstulit. Agebatur XVIII. Kal. Decembr. anni MDCIX.

Hos laborum suorum fructus læti spectabant Patres, libenter ipsi sanguinem, si licuisset, daturi: ac parum abfuit quin simul omnes plesterentur nece vel exilio. Japonum navis vento adversante propulsa Macaum fuerat. Vectores, illic ortâ cum Lusitanis rixâ, plerique casti: alii male multati & in patriam reversi, graviter cum Daifusama conquesti sunt. Accensus ira Lusitanos comprehendi, suppliciumque de omnibus sumi jubet; ac præsertim de illis, qui recens advecti onustam solitis mercibus navim ad Nangazachii portum appulerant. Huic navi præerat Lusitanus impiger, qui periculum odoratus solvit rudentes sub noctem & fugit. Concurrent Japonæ, & expeditis cymbis fugientem assequuntur. Ille naviculas glandibus infestis disjicit, quassatasque, multis depressis, compellit in fugam. At vicinum portum subire conatus, biduo stetit in ejus aditu, resante vento. Id animos & spatium Japonibus dedit instaurandi prælii. Valida triremi machinam imponunt, in modum turris constructam triplici tabulato. Consertæ inter se duplici vallo trabes militem tutum contra tormentorum bellicorum furoræ præstabant. Triremem sexcentæ naviculæ sequebantur, omnes lætis militibus refertæ.

Ita comparati Lusitanam in navim feruntur. Hanc sua moles & ventus iners, ne vela daret in altum tenuerunt. Statim ab omni parte obsessa vim undique irruentium sustinebat, cum casus infelix victoriam hosti facilem obtulit. Lusitanus miles dum ferream explodit fistulam nitrato gravidam pulvere, excidit scintilla in velum. Ignem arida concepit extemplo tela, & oculos omnium ac manus ad restinguendum convertit. Projicienda in mare pestis, vel in ipsum torquenda hostem erat, verso in telum casu. Velum ardens trepidi amentesque subducunt ad proram, quæ tota flammis repente colluxit. Cognitò periculo gubernator navis, cum mortem ab hoste & igne impendentem vitari non possit, cerneret; accelerandam minori dedecore duxit. Nitrati pulveris apotheca ignem admovet. Dissiluit horribili fragore navis, & in auras pelagusque viros, merces, tabulata rupta, sparsit. Pauci enatabant, quos Japonæ eminens cominusque trucidarunt. Magna pars damni redundavit in Socios, quippe annonam trium annorum ipsis oneraria deferebat, quo spoliati subsidio plurimos adolescentes, in Seminariis educatos, dimittere sunt coacti, ac dividere se ipsimet varias in provincias, ubi non Christianorum modò, sed etiam ethnicorum, quos calamitatis & inopia commiseratio tangebatur, liberalitate sunt sublevati. At Japonum imperator postquam infelicem prioris prælii successum accepit, ac plerosque Lusitanos fugisse cum oneraria cognovit, odio & furore æstuans, quidquid in Japonia nominis Lusitani reperiretur, mactari jusserat, Episcopum & Patres ad unum exterminari. Jamque Nangazachii gubernator, immixtis in omnem partem lictoribus & carnificibus, tristia exequi jussa cœperat, cum victor exercitus apparuit. Subita ex ingenti metu latitia oppressit ultionis cupiditatem. Satis pœnarum dedisse visus sunt Lusitani; & rex Arimæ pro Christianis deprecator ad imperatorem accessit, qui etiam haud parum est mitigatus oblata spe alterius onerariæ brevi advehendæ, in ejus locum quæ perierat, & cujus merces decies centenis aureorum millibus æstimatæ fuerant. Sed illum paulo post novi stimuli ad maturandam Christianorum perniciem incitarunt.

§. XI.

OBITUS ET RES
GESTÆ P. OR-
GANTINI SOLDI.

* Lib. III. n. 221.

EREPTUS interim terris fuit, ne luætuosam Ecclesiæ Japonicæ faciem videret, P. Organtinus Gneccus, alii Soldum vocant: hoc è materna stirpe cognomen, illud è paterna duxerat. Vocatus in Japoniam haud dubiâ divinæ voluntatis significatione, ut Parte tertia Historiæ narratur*, vocationi cumulatè respondit, duris laboribus exhaustis, rebus plurimis ad gloriam divinam & salutem animarum prudenter fortiterque gestis. Merito dubitari poterat ipse Japonibus, an ei Japonæ essent cariore; tanta florebat apud omnes, etiam imperatores, gratia.

& auctoritate. Argumento est, quod religiosis viris omnibus vertere solum jussit, Taicosama veniam hanc illi dedit, ut in urbe Japoniæ primaria & vestem Societatis & domicilium retineret. Hoc Principis favore ulus cultum Christi valde propagavit, & magnam nobilitatis aulicæ partem ad eum perduxit: Samburodonum Regem Mino, Nobunangæ nepotem; Findadonum, generum ejusdem Nobunangæ, quem Taicosama columnen imperii Japonici vocitare consueverat: Sciugendonum, Guenifoini gubernatoris Meaci filium; Guembadonum, Nimangoci dynasten; Guenzaimonum, Principem regni Oxu potentissimum; Sciuridonum Regis Vomi filium: Regem ac reginam Vacasæ. Aditum facilem ad aures & animos virorum illustrium, etiam a religione alienorum, Organtino dabat spectata, ejus probitas; tum vero comitas humanitasque singularis, qua non solum sanctitatem præceptorum Evangelii, sed etiam veritatem dogmatum, vel pertinacissimis nullo negotio persuadebat. Mutatis deinde rebus, cum Daifusama potitus imperio sumptam ad tempus lenitatis & clementiæ larvam exuisset, laborantem Ecclesiam Japonicam Organtinus omni ope sublevavit; regionem totam pagatim noctu plerumque, concursando, ac tristes naufragii reliquias colligendo. Eius consiliis, & cohortationibus, stetera illa Fidei columnina, Justus Ucondonus, Augustinus Tzucamindonus, Darius, Giffaqui, & regina Tangi, quæ viro propter egregias dotes cara, invisâ propter Christianam religionem, experiebatur in conjugem tortorem immanissimum, qui nec ferre Christianam poterat, nec volebat eam proderere, ne perdere cogereetur. Quantum autem favebant Organtino piorum studia, tantum eidem periculi ac negotii facebant improborum insidiæ, maximè Bonziorum: imo etiam demonum, quorum unum aiunt auditum fuisse graviter lamentantem, quod suos sibi servos Organtinus eriperet.

Præter cetera quæ sunt ab illo in publicam rem utiliter provisâ, illud maximam habuit apud omnes commendationem, quod abjectos infantes colligere & alere studuit. Viget apud Japones ea consuetudo barbara, ut quam educare prolem nolunt vel non possunt, interficiant impune; aut, si manus innocenti ac suo sanguine maculare non sustinent, ubilibet abjiciant conculcandam à prætereuntibus, aut à canibus devorandam. Hinc æstimare licet quanta strages & jactura fiat animarum. Infortunatos igitur partus primo inquirendos; deinde baptizandos, & Christianis nutricibus educandos dedit. Laudavit universa Japonia caritatem, & in partem sumptus, atque operis præclari libens venit.

Magnus præterea lepris laborantium in Japonia numerus est. Urbibus ejecti jacebant in agris sub dio: ibi viva cadavera trahebant infelicem spiritum, omnibus occursum aspectumque fugientibus. Id enim generis humani hostis, qui animarum exitio pascitur, plerisque Indiæ populis persuasit, hominibus egestate, morbis, aut alio aliquo naturæ vitio affectis iratos esse Superos, atque adeo mortales infensos jure iisdem esse posse. Neque aliud mirantur magis, quam cum audiunt pauperibus & ærurnosis præcipuam sempiternæ felicitatis partem esse divinis consiliis & Evangelica sponione destinatam. Organtinus igitur deformi laborantes morbo collegit, & nosocomium illis Ozacæ condidit. Prodierrunt è nemorum latebris complurès alii, qui prius tanquam ex hominum ac vivorum numero exturbati, vitam infelicem inter feras agitabant; & ad religiøsæ caritatis lucem velut redivivi, repertam denique inter homines humanitatem & misericordiam gratulati sunt. Illis de integro tria fuere nosocomia edificata. Curatè quantum fieri potuit corporum foedæ labes: animorum longe turpiores maculas sacramenti regenerantis balneum absterfit. Has Misericordiæ domos (id enim nominis impositum illis fuerat) frequentabant Patres, & secum nobile neophytorum, ut quisque splendidissimus erat, agmen deducebant ad ministranda calamitosæ & egenti turbæ necessaria subsidia. Quod spectaculum oculos civitatis in se convertebat. Dux præclari operis, aliorumque complurium, Organtinus. Præcipua tamen ejus cura in tutandis regendisque per Japoniam nostris exstitit, quibus per annos duos & quadraginta semper ferè præfuit. Meaci ut plurimum, consistebat, regia in urbe; unde, tanquam ad gubernaculum sedens, in omnes vastissimæ regionis partes vigilantiam intenderet. Nangazachium se recepit tribus postre-

42.

Quatuor nosocomia leprosis condita.

postremis vitæ annis, senio confectus, & id unum dolens quod pro Christo mori non posset, cujus gloriæ vixerat per annos ipsos undequadragesima in hac vinea Japonica transactos. Quid de illa, ceterisque Indiarum Missionibus sentiret cognosci potest ex ejus ad Socios Romanos epistola *, ubi post commemoratas nostrorum ærumnas, & P. Franc. Lopii à Mahometanis trucidati necem, concludit in Indiam venire aliud esse nihil, nisi doloribus mortique, Christi Domini causa, offerre se se. Tum Socios rogat & obtestatur, ut pia quadam abdicacione rerum omnium (non omisis interim aut neglectis iis, quæ ipsorum curæ fideique commissæ sunt) expetant ardentem, Deumque assidue deprecantur, ut liceat ipsis, ad animas suas, & corpora eidem immolanda, in hæc loca contendere: illos tamen impetus animi, illa desideria Missionum, quæ fundamentis veræ virtutis non nituntur, docet nequaquam esse Indicis laboribus paria; quo minus enim fundata sunt, eo facilius variis & quotidianis incommodis, periculisque labe facta concidere: contra, si matura stabilitque virtute fulciantur, ingruentibus laboribus magis magisque firmari.

* Apud Massonium, Lib. IV. Epist. select.

43.

P. Franc. Capralis. & alii quidam è nostris piè mortui.

• Anno 1570.

Nono post obitum P. Organtini die, nempe decimosexto Kal. Maias anni MDCIX. illum ad beatam, uti speramus, immortalitatem est secutus P. Franciscus Capralis, Lusitanus, optime pariter de India, Japonia, & Sinis meritis. Gore adscriptus in Societatem anno MDLIV. ibi philosophiam ac theologiam docuerat; postea tironibus magister, collegiis Goano, Bazainensi, & Cocinensi rector impositus; inde ad Societatem in Japonia gubernandam traductus *, Bungenis Regis filium sacro abluit fonte; ipsum Bungi Regem, quem S. Franciscus Xaverius pridem antea invitaverat in ovile Christi, in illud induxit: quodque incredibile, ut est Bonziorum superbia, videatur, è sexaginta illorum cœnobitis errorem & impietatem, ubi dominabantur, expulit. Nam quot è populo millia Christianis informaverit præceptis & moribus, enumerare non est. E Japonia in Sinam evocatum P. Alexander Valignanus Macaensi collegio, & Sinenis Missioni præfuit anno MDLXXXII. Duos ibi primæ notæ atque auctoritatis Mandarinos Paulum & Joannem ad Ecclesiam aggregavit, celebratis in Sinenis imperii Incebatissimi carimoniis, quo facta religionem, antea velut obscuram & abditam, super candelabrum, ut Evangelica voce utar, extulit. Triennio post, Indiarum totius Visitator datus, Goæ confedit, ubi domui Professorum præpositus, ac plenus dierum, vitam magnis utilibusque laboribus exercitam piè clausit, anno ætatis octogesimo primo. Eluxit in eo, præter copiam dicendi, dexteritas in tractandis hominum animis, & efficacissima lenitas; item studium orationis, qua una maxime utebatur ad complanandos veluti negotiorum aditus, salebrosos vulgo & asperos. Meacum anno MDLXXI. petenti, ubi flos Japoniæ degebat, auctores erant plerique ut vestem solita lautiores indueret, pertinere id arbitantes ad conciliandum religioni splendorem; cujus dignitas obsolescit apud ethnicos, oculis omnia metientes, nisi externo cultu niteat. Verum hoc sibi persuaderi passus non est, cum diceret id quidem fecisse S. Franciscum Xaverium (hoc enim exemplo amici utebantur) nondum Japonibus illata & cognita religione, nondum Societatis perspecta: jam utrique isti causæ nihil esse loci. Patrum Organtini & Capralis jacturam consolatus est Deus submissis in portum Nangazachiensem, post evitatas feliciter prædonum insidias, Sociis duodecim, linguæ Japonicæ gnaris, quam in Macaensi collegio perdidicerant. Continuo supposita falsæ maturæ messi, & promulgatus, annuente Paulo V. Jubileus, acceptusque summa Fidelis populi gratulatione: in quo si qua seminaverat inimicus homo zizania, penitus extirpata sunt, & in horrea Domini magnam optimi tritici copiam messores Evangelici comportarunt. Pulcro labori quinque de nostris succubere: P. Antonius Corderus, Lusitanus; qui per annos unum & viginti pondus diei & ætus in hac Domini vinea portaverat. P. Bernardus, Aragonensis, & P. Gregorius Cespedes, Castellanus, qui annorum quatuor & triginta manipulos collegerant: P. Petrus Rodericus, Lusitanus, denarium Evangelicum post annos quinque & viginti consecutus. Denique paucis post mensibus P. Itus Mancius, Iapon, dux inclytæ legationis, missæ Romam a tribus Japoniæ regibus, ad Summum Pontificem Gregorium

rium XIII. anno MDLXXXIV. Reversus in patriam, spretis opibus & honoribus florentis familiae, totum se Christo, in ejus Societate, devovit; quem alii similiter Japoniæ Principes adolescentes, ejusdem focii legationis imitati sunt*. Pater Mancius annos tres & quadraginta confecerat; vixerat unum & viginti in Societate. Restabant anno MDCXI. à Sociis in Japonia centum & undecim. Omnes ad Christi regnum amplificandum intenti, quod decem hominum millibus auxerunt, ac multorum etiam nobilitate insignium. Major in dies proventus Evangelicæ messis fuit, extincto apoplexiâ Canzagedono Fingi rege, Christianæ legis hoste atrocissimo. Templum de integro in regno Bungensi, & aliis plerisque, cum stationibus & domiciliis Societatis ædificata. Connivebat Imperator, tacita sub alto pectore fovens odia, & in consequentes, ut referemus, annos eruptura. Suberatque plausibilis, quotiescumque favire libuisset, causa: nam Taicofamæ vetus edictum adversus Christianam legem nunquam abrogaverat. Neque tamen hoc metu sunt prohibiti Patres quin Surunga, ubi degebat, consueta satis apertè munia exercerent: quin Episcopus Japonensis sodalitatem à Sanctissimo Sacramento nuncupatam constitueret Nangazachii. Factum illi est initium à solenni supplicatione. Processerunt sodales splendido amictu spectandi, & cerea in manibus face. Quolibet mense omnes celebrato peculiari quadam pompa sacrificio intererant, ac celesti accumbebant epulo. Frequentes Christum in Eucharistico sedentem throno visabant interdium, noctu vero ante valvas templi orantes plerique consistebant. Quibus exemplis Christiana plebs ad venerationem Sacramenti admirabilis, majorem in modum est excitata. Altera, nec minori apparatu, ducta est per mediam urbem supplicatio, cum allatum in Japoniam, fuit de Beati appellatione, Divo Ignatio per Pontificem concessa. Præivere populo amplius quadraginta sacerdotes, sacra omnes amicti trabea. Rem divinam Episcopus fecit solenni pontificum ritu; nox ignibus festis tota collucens publicam lætitiâ prorogavit. Idem est Arima peractum, ubi Regina gravi decumbens morbo, Ignatium invocans, valetudinem pristinam recuperavit. Simillima in plerisque Japoniæ locis edita sunt miracula, quæ fusiùs in Actis de referendo in Sanctorum album Ignatio conscriptis, recitantur.

ANNUS MDCXII. nova inter Japones edidit miracula fortitudinis & patientiæ; reliquis miraculis, ut censet Chrysostomus, præferenda. In aliis quippe Deus mortales obligat aliquo beneficio; in istis Deum habent, ut loquitur ille, debitorem. Cum statuisset Daifusama vindicare sibi Japoniæ imperium, cujus nondum aperte gerebat nomen, etsi rem teneret, illudque liberis suis possidendum transmittere, duo perumpenda sibi vidit, quæ votis ambitiosis ineluctabilem injiciebant moram: alterum domesticum, alterum externum. Vivebat Fideyorus; regni legitimus heres, opibus & clientium gratia florens; illi opes, ac demum vitam, eripere decrevit: videbat universam fere Japoniam pervasisse sacerdotes Europæos, quibus id unum esse propositum sibi falso persuaserat, ut Japoniam Christo primum, deinde suis Regibus, subjicerent: hos ferro flammisque, unâ cum Christiana religione, funditus exterminare constituit. Quibus artibus geminum hunc obicem pervincere molitus sit, operæ pretium est cognoscere. Fideyoro ut eriperet opes, nervum belli, juvenem induxit flagrantem cupiditate gloriæ, ad ædificandas arces, templa, & palatia; ad edendos solennes apparatusque ludos, & celebranda infinito luxu convivia. Quos in sumptus immensa pecuniæ vis abiit. Spoliavit illum similiter amicis atque clientibus, & eos calidè traduxit ad se se filiumque suum, cui conjugem dedit ipsius Fideyori materam. Diu quemadmodum Christianos extirparet deliberavit, amorem inter metumque fluctuans; amorem commercii, quo ditescerat; metum imperii amittendi, si Christi cultores valescere pateretur. Metus amorem extrudit: perdere illos omnino statuit, a quibus timebat ne periret. Distulerat aliquandiu illorum perniciem, donec videlicet auctoritatem suam ac potentiam confirmaret. Explorabat interim procerum ac regulorum voluntates, ac per eos clam sæviebat. Nunc per se se, nunc apertis & professis odiis exilia, ferrum & flammam adhibuit. Ut sæva maturaret consilia occasione navarchus Batavorum obtulit. Venerat in

* Suprà. n. 4.

§. XII.
TERTIA JAPONENSIS ECCLESIE AC SOCIETATIS PERSECUTIO.

Japoniam legatus Proregis Novæ Hispaniæ, ut commercii Japones inter & Mexicanos jungendi condiciones proponeret. Yendum ingressus ad salutandum Daifusamæ filium, post explicatas legationis suæ causas, petierat facultatem explorandi maris altitudinem, quo tutius è Mexico in Japoniam navigari posset. Id verò dum luce palam ac sapius facit, dum omnia Japoniæ littora pererrat cum nautico perpendiculari, suspitioni ac sermonibus locum dedit, quos ad aures Daifusamæ pertulit fama. Audiebat ille non invitus Batavica navis rectorem Anglum, de geographia differenterem. Quarit ex eo quid sibi velint Hispani cum isto perpendiculari, tam diu, tam accurate: an ita mercatores Europæi consueverint. Respondet navarchus non tam id mercatorum esse, quam militum; neque commercii causa fieri vulgo in Europa, sed belli. Addit, Hispanos esse gentem ambitiosam, & ubique dominandi avidam: Patres Societatis in Japoniam advectos, illorum satellites: ab iis regna perturbari simulatione pietatis, avocari populos a Principum obsequio, & ad subeundum Hispanæ dominationis jugum perducere. Hanc ob causam à plerisque Germaniæ Principibus, ab Ordinibus federatis Batavorum, & ab Anglis, tanquam publicæ rei perturbatores, expulsos fuisse: religionem porro quam docebant, non esse veram illam ac sinceram Christi legem, quæ solo Dei verbo nititur; sed variis superstitionibus & commentis adulteratam.

44.
Occasio perfectionis. Ejus initium à proceribus & aula factum.

His attonitus imperator nullum præterea locum dissimulationi & clementiæ putavit esse, nec retinendos diutius tolerandosve duxit, quos ipsi Principes Christiani ejciendos judicassent. Itaque ad extirpandum in Japonia catholicum nomen totus deinceps incubuit. Ac primo quidem proceres nonnullos aggressus est, quorum auctoritate ac potentia religio maxime stabat. Quatuordecim ex omni numero delectos arcessit, ac sciscitatur quare vetitam olim a Taicosama, quæ se prohibitam religionem, olim ignotam Japoniæ, colant. Respondent unum esse Deum, cujus in cælo solium, & in ipsos reges imperium sit. Ab eo prohiberi cujuscumque Numinis, præterquam sui, cultum. At ejus legem obsequio regum nequaquam adversari; quin imò, ex quo illam amplexi essent, novis arctioribusque vinculis imperatori esse obstrictos, neque recusaturos quin suam ipsi fidem ac patriæ illustribus exemplis, & obeunda, si foret opus, nec probarent. Unum rogare modo & obtestari, ut sibi liceret pacatè ac privatim illum, quem agnovissent, Deum colere; cui tanquam supremo Principi obligatam fidem frangere nefas omnino ducerent. Meis tamen legibus, subjecit increpitans Daifusama, morem gestum oportuit. Eas a vobis violatas queror. Capite luendum scelus esset, nisi majorem vestrorum in publicam rem meritorum rationem, quam impietatis & perfidiæ, haberem. Vivite, sed exules, & addictis fisco bonis. Tum vetuit, ne quis illos opibus, tecto, commodis ullis juvaret. Tristem lætissimo vultu atque animo sententiam exceperunt. Unum dolebant quod mori non liceret. Aberat eorum unus, ætate multis inferior, & annos quatuor tantum ac viginti natus: virtute nulli secundus; in cujus vultu videbatur habitare modestia; in moribus pudor; in vita exemplum Christianæ probitatis. In illum conjecti erant omnium oculi, ac vulgo existimabant nihil eo juvene fieri posse perfectius. Sacram adem amplissimam & ornatissimam in oppido suo construxerat; Deiparæ instituerat sodales, quibus incumberebat hæc provincia, ut ethnicos ad audiendam, cum à Patribus explicabatur, doctrinam Christianam adducerent: denique uxorem, fratres, sorores, familiam omnem, trecentis constantem capitibus, ad Christi fidem converterat. Ad primum procellæ contra religionem excitata murmur, accurrit domum nostram, ubi sacramentorum præsidio munitus, totam noctem in martyrii laudibus desiderioque consumpsit. Illuxerat, cum se damnatum exilio & jactura fortunarum accepit. Relicta domo, prædiis, affinitibus, amicis, profectus est in desertum procul pagum, cum uxore & filiola bimula; ibique vitam ægè, omnibus egens, cruce dives ac patientia, sustentavit.

Plus quidpiam alii duo fratres præstiterunt, inter nobiles Principis pueros numerati. Christo dederant nomen à duobus tantum annis. Præteriti tamen consultò fuerant in aulicorum indice, quem Daifusama jusserat confici: eos enim illi esse

esse carissimos norant omnes: adhæc atas florens & optima in dolens commiserationem movebant. Ambo, recognita, civitatis gubernatorem huic præfectum causæ perfusi lacrymis adeunt, obtestantur ut orantes ne respuat. Quibus ille: Bono, inquit, animo estote; nihil imminet vobis a me periculi, domum repetite: silebo. Imo, inquit, ut loquaris, nosque in Christianorum indicem referas, oramus: id a te si exoramus, immortalis beneficio ambos devinxeris: si negas, imperatori nos aperiemus. Miratus orationem gubernator, juvenes multis deterrere verbis frustra conatur: demum veritus ne quid sibi crearetur inde periculi, deduci utrumque imperat ad magistratum, antea monitum quid factum esset opus. Prodit in ejus conspectum junior fratrum. Convenerant in eandem aulam nobiles quinquaginta, ex composito vocati. Licetorum ferox turba & apparitorum; iudex pro tribunali, ore tetrico minax: omnia terrorem spirabant. Ut venit adolescens, Christianum esse te, intonat iudex, narrat. Et vera narrat, retulit juvenis: Christianus sum, eroque dum vivam. Atenim vetat Japoniæ imperator. At jubet imperator cœli. Utri obsequar? Utrum suades audiendum esse? Conurbatus iudex hoc aditu dicendi, negat ullos Japonibus Deos esse præter Xacam & Amidam: hortatur ut ignotam religionem abiciat: opes honoresque spondet: exilium, supplicia, necem minatur. Peritura, juvenis retulit, bona polliceris; minaris mala exiguo tempore circumscripta: Deus ille, quem colo, sempiternus. Ceterum huic fidem obstrinxit meam: nec imperator, credo, me dignum sua benevolentia duxerit, si perdidit Deo meo sacramentum dixisse me cognoscat. Multa subjunxit de religionis Christianæ dignitate; attonitosque cernens qui aderant, erupit in has voces: Testes ego cœlum ac terram, vosque omnes facio, certum esse mihi, vivum potius ardere, in frustra concidi, & omnibus exitiis perire, quàm ab lege divina vel transversum unguem discedere. Nihil mortale visus est habere sermo, tacitosque ac stupentes diu ethnicos tenuit. Hæc minoris fratrum constantia spem exiguum vincendi majoris reliquerat. Nihilominus accititur. Ad confessum opinione numerosiore paulum hæsitans, oculos conjecit in fratrem: quem (ut erat lætus, & adhuc præsentis plenus Numine) victorem sensit. Hujus exemplo confirmatus perorare audacter, & concionem permovere cœperat; cum Iudex, ne iterum tot testibus vinceretur timens, cœtum solvit, imperatoremque de re tota fecit certiore. Ille diffidens adolescentes frangi posse, ambos reliquis duodecim adscribi iussit. Omnes in exilium longè deportati sunt, & divitibus repente inopes; & lautis & florentibus despiciatissimi; & beatis miserissimi, aliorum iudicio; at suo, nunquam feliciores. Accedebat ad illorum calamitatem quod nemini eam licebat palam lugere, ac ne clam quidem sublevare, verantibus, qui eos deducebant, militibus. Præfecti provinciarum, sive studio imperatoris, sive Christianorum odio, statim edictis atrocibus ubique propositis, vetuere ne quis Christianus esse pergeret. Recusantes, patria, fortunæ, ædibus spoliarent. Inerrabant campis tristes piorum exulum catervæ; cum puerulis fenes; parentes cum liberis; ubi consisterent, unde alerentur, incerti: nisi forte alicubi à Christianis furtim opis aliquid, & parvam miseræ necis moram, nanciscerentur.

Virorum fortitudinem & patientiam æmulatæ sunt feminae, tanto majori virtutis laude, quanto ipsæ debiliores ad resistendum videbantur. Tres eminebant in aula, genere, ingenio, virtute præstantes, Julia, Clara, & Lucia. Luciam dotes naturæ omnes commendabant, quæcumque sunt in femina præcipuæ. Capta in bello Coreano, & per P. Morejonum Christianis imbuta moribus, ab imperatore in aulam fuerat adscita, muneribusque amplissimis ornata. Ejus tamen edicta spernebat, legemque divinam in omnium oculis profitebatur, tanto fidentius, quanto magis pudebat favere in feminam. Igitur illam expugnare per cuniculos parat. Submittit mulieres è primaria nobilitate, quæ nihil intentatum reliquerunt, quo femineum aut mitigari aut perumpi pectus potest. Iteratæ preces, mixtæ fallacibus lacrymis dolosæ obtestationes. Ad quas paulum ingemiscens, & matronarum amore mota Lucia (erat enim indole perquam liberali & humana) postquam egit illis gratias, Equidem, inquit, nisi me tantum debere

LIII 2

fatear

45.
Duorum fratrum insignis victoria.

46.
Matronæ Christianæ ab aula in exilium pelluntur.

fatear imperatori, quantum illi debere quisquam potest, ingrata sim: & studium memor esse; nec me, spero, dies ulla tot beneficiorum, quae in immerentem congeffit, oblitam arguet. Sed (pace illius dixerim) est in caelo Rex, cui plus debeo. Quod sum, quod vivo, quod liberata jugo daemnonum, quod in filiorum Dei numerum recepta, totum hoc illi acceptum fero. Hic mihi beatæ auctoris immortalitatis ac sponsor est. Huncine ut ego abdicem, tam bene de me meritum aut tam probe notum ignorari a me, uti suadetis, fingam? Non cadet in Luciam tantum scelus; neque metus ullius mali, quod hæc tolerare vita possit; aut commodi spes, evincet ut fecisse contra tam sanctas æquitatis & officii leges dicat. Hoc responso attonitæ ac furentes matronæ, quæ expugnandam certò Christi sponsam imperatori promiserant, vix ab illa manus impias abstinuerunt. Ubi conviciis & probri exfatiatus furor paululum quievit, inter se consiliis inierunt de atroci calumnia, qua insontem perderent. Igitur Daifusamam renunciant Luciam noctu aliquando regiâ egressam. Quæri de crimine diligenter imperator iussit. Eò duntaxat valuit illa quæstio & investigatio, ut innocentissimæ feminae probitas patefceret. Compertum fuit, nunquam extulisse pedem regiâ, nisi ut sacram peteret ædem; cumque illis comitibus, quos decebat. Exilio multata est; ac tradita militibus, ut in insulam Oximam deferretur. Priusquam navim conscenderet, scripsit in hanc sententiam ad P. Franciscum Pafium, Societatis Jesu in Japonia Visitorem. *Magnam habeo Numini gratiam, mi Pater, quod me, tot exhaustis feliciter periculis, aula eduxerit: in Oximam exul profectusor. Divinam nequeo satis admirari Providentiam, aut satis pro tam insigni beneficio grata esse, quo me nihil tale meritam afficit, ut exul pro Christo sim. Hoc vero quibuslibet mortalis vitæ commodis & honoribus antepono. Ita me comparatam sentio, ut calamitates omnes & ærumnas, quæcumque fingi possunt acerbissimæ, non solum æquissimo, sed etiam libentissimo animo patiar ac perferam. De me quod labores nihil est: id unum rogo ut mei meminisse in divino sacrificio velis, meque per litteras identidem consolari. Vale.* Discedens lacrymas tenere non potuit: causam rogata, respondit spem sibi ademptam esse martyrii pro Christo subeundi. Tum unus quispiam è Christianis, Audivi, inquit, a Patre Societatis, cœlestes multos in martyrum numero ab Ecclesia reponi, qui diem supremum obissent in exilio, quamvis cruenta morte caruissent. His verbis mirifice recreata marorem abiecit, & Societatis Patri, unde hanc doctrinam Christiani hauserant, continuo per litteras gratulata est. Ab insula Oxima in aliam deventa fuit horridiorem, quò duæ pariter ex aula matronæ fuerant expulsæ. Permulcebat ærumnas suas dulcissima consolatione, quam ex earum consuetudine capiebat. Amota est in desertum sterilemque scopulum, ubi fame paulatim & egestate conficeretur. Ex hac Seripho scripsit ad P. Morejonum. Significabat nusquam sibi melius in vita fuisse: nihil habenti nihil deesse. Unum ægre ferre, quòd divino sacrificio & sacramentis careret: tamen hanc jacturam sarcire se utcumque, quotidiana cœlestium bonorum meditatione. Scopulum suum montis Calvaria inftar videri sibi: pro-volutam ante Crucem deprecari suorum veniam delictorum, & cum Christo JESU quotidie mori. Ad extremum orabat ut Vitam Sanctorum, itemque imagines ali-quot pias, ad se perferendas curaret.

47.
Regis Arimæ
filius necem pa-
tri molitur Im-
peratoris jussu.

Pulsis aula Christianæ legis defensoribus præcipuis & luminibus, ad regulos Japoniæ dynastisque aut pervertendos, aut evertendos, animum & curam imperator adiecit. Erat ingens Evangelii columen Protasius, Arimæ Rex, qui Joannis nomen in Confirmationis Sacramento sumpserat. Ad hunc perdendum aliol-que permultos, Daifusama ipsius filium Michaellem, pariter Christianum, sed paterno jampridem regno inhiantem, adhibuit. Est enim hoc in moribus Japonum institutisque positum, ut Regum ac Principum filii primogeniti, postquam ætate aliquantum processerunt, maxime si duxerint uxores, paternum capebant regnum aut principatum. Tunc Rex Princepsve senior, traditis filio clavibus domus, aut scepro, secedit, ac privatam deinceps vitam agit, perinde ac si vivorum in numero nusquam esset. Joannes Arimæ Rex, licet annos quinquaginta egressus, de amplificando regno dies noctesque cogitabat, nedum de abdicando. Ferebat hoc

hoc moleste filius Michael, jam grandior, & Daifusamæ proneptem habens in matrimonio. Hæc avida regnandi, cum imperatore graviter exposulavit de Rege Arimæ, utque legem & consuetudinem valere juberet obsecravit. Additæ sunt ab ejus marito non minus acerbæ, quam falsæ, contra patrem criminationes, a quo se suamque uxorem, quæ imperatori carissima, indignum in morem tractari querebatur. Quibus auditis Daifusama Joannem damnavit exilio, & Michaellem paterno regno donavit. At filius sceleratus non satis firmam novi regni possessionem fore sibi putans patre vivo, nec segniter objecta crimina resellente, congerit alia multò atrociora, & repetitis cum uxore scelerum conscia querelis ac precibus, eò perduxit imperatorem ut sententiam capitis in Joannem dixerit. Ejus domum militaris cohors Nonis Junii MDCXII. cinxit prima luce. Tribunus feralem illi sententiam recitat, optionemque dat moriendi aut sua aut carnificis manu. Edicto tristi nihil turbatus respondet sibi ad mortem fortiter obeundam nec animum deesse nec manum: sed Christianus cum sit, non posse inferre sibi necem: pati quamlibet, ut virum decebat, posse. Ita fert consuetudo Japonum ut, cum dynasta cuiusdam supplicium irrogatur, ejus familia correptis armis in milites ceterosque judicum administratos irruat, domini liberandi gratia vel ulciscendi. Vetuit suos Joannes barbaræ consuetudini servire, ac testes herilis patientiæ, non ultores mortis, esse voluit. Inviti reluctantesque paruerunt. Quin, sacramento adegit omnes, ne quis ipsorum, ut mos famulis Japonum, extincto hero, ventrem sibi discinderet. Tribunus, qui cum sua cohorte ad solitam dimicationem & familiæ carnificinam se accingebat, vehementer obstupuit, libenterque Principi spatium ut se ad necem compararet postulanti annuit.

Prima Christiani herois cura fuit, ut ad suos accusatores ac filium parricidam scriberet. Nihil de illis questus, veniam dedit; &, quasi lassisset, petiit. Deinde recitari sibi patientis Christi jussit historiam, & commemoratis in conspectu plorantis familiæ gravioribus delictis suis, oravit omnes ut ignoscerent quæcumque aut coram ipsis, aut contra ipsos, admisisset. Tum collocata in tapete humi Servatoris crucifixi effigie, procidens, cervicem præcidendam obtulit. Ejus uxor, matrona spectatissima, mortuum non flebit muliebriter, sed caput eruentum allevans & osculata, serico panno cum corpore involvit, ac secedens in proximum conclave, comam sibi defecuit; quo factò rebus humanis ac seculo nuncium remittere se Japones proficentur. Exemplum cetera familia secuta est. Corpus Christiano more sub noctem tumulatum. In eo Rege licuit admirari supermi Numinis misericordiam pariter ac justitiam; hanc in eo castigando, illam in dando poenitentiaæ spatio & animo. Quippe gratiam imperatoris malè aucupans, cujus beneficio sperabat se regni sui fines proferre posse, multa commiserat indigna Principe Christiano, filiumque perpulerat ut, repudiata legitima conjugè Christiana, ex qua jam liberos susceperat, uxorem duceret, seu potius pellicem hanc Daifusamæ proneptem, futurum sperans ut ejus ope ambitiosa vota expleret. Hæc illi exitium machinata est. Sic scelera in auctores suos recidunt.

Daifusamæ negotiū nihil fuit apostatam è parricida facere. Paternum regnum ipsi concesserat ea lege ut Christo bellum inferret. Datam imperatori fidem præstitit improbus, ac vicit: utque prius exemplo noceret, quàm factò, nuncium palam religioni & Christo remisit. Arimam inde advolat cum expedita satellitum manu. Quæcumque habebat iter, evertabantur Cruces, templa incendebantur; quorum septuaginta septem (tot enim ejus in regno stabant) everfa sunt; omnia denique monumenta Christianæ pietatis abolebantur. Ut Arimam attingit, pronunciari per præconem jubet Christianis exilia, necem, supplicia. Ad hanc denunciationem neophyti, quasi dato pugnae signo, in templum Societatis, ad arma sacramentorum sumenda, concurrere; scutum orationis, loricam poenitentiaæ, gladium Fidei, certatim arripere. Quia vero sacerdotes à prima luce ad vesperam excipiendis confessionibus distinebantur, adjutores domestici Societatis, necnon catechista, cum antiquioribus Christianis, concursabant domos, & cunctos instanti pugnae præparabant. Eminebat illorum ardor præ ceteris, qui recens è prælio digressi, eosdem aliis affabant animos, quos ipsi ad certamen fortiter sub-

cundum

tot spectata bellis virtus, probitas, gloria. Dubitantem Saffoius hortator scelerum confirmavit: amputandum dicitans Christiani agminis caput: ingenti merito conciliandam imperatoris gratiam; & Arimense regnum ab omni peregrinæ religionis macula purgandum. His victus adolescens negotium dat suis ut, cum primum ad salutandum imperatorem discesserit, è medio Thomam tollant. Rumor ad aures amicorum Thomæ allapsus trepidos excivit. Concurrunt, obtestantur ut noctu captet fugam. Negavit se facturum. Mene, inquit, ab hostibus Dei circumventum, fugam arripere, quam hostibus Regis mei toties cinctus nunquam cepi! satis, satis a me fufum est pro mortali Principe sanguinis: quod restat Christo fundam. Huc ea causa venirem ex ultimis Japoniæ finibus, nedum hinc fugiam. At saltem matris, fratris, uxoris, liberorum saluti consule. Mihi sunt cariiores, retulit heros Christianus, quàm ut præreptam illis martyrii palmam velim. Hanc, ut mihi, sic ipsis unice precor ac voveo. Vos tantum felicitati meæ ne moram ullam aut obicem opponatis oro.

Sic locutus, mæstos paventesque deseruit: inde noctem precando extraxit. Postridie sub horam ab orto sole quartam evocatur ab uno ex urbis gubernatoribus, quasi negotii causa. Sensit quid esset isthuc negotii. Matrem suavissimè complexus, tresque liberos; latus & alacer prodiit. Venientem, ore pariter in speciem læto gubernator excepit: est enim tota Japonum natio mirè ad dissimulandum nata. Collocutus de nescio quibus ædificiis quæ parabat, manere, ut secum pranderet, iussit. Dum struitur mensa gladium promit, Thomamque respectans, Ecquid hunc censet idoneum capiti demetendo? Sumit in manus Thomæ fatale ferrum, instrumentum suæ necis & gloriæ; versat inspicitque: tum, Perplacet, ait, neque alium mihi gladium velim; ac reddit: quem gubernator illi subito in pectus alte adigit, exanimemque sternit. Eodem tempore Matthiam illius fratrem alter è gubernatoribus evocaverat. Ubi venit, non ignarus neque incautus futuri, rogat numquid velit. Cui gubernator: Paucis te, non mea sed Imperatoris causa, volo; simulque enssem distringens, medium trajicit. Confestim lictores domum Thomæ provolant: & Martham ejus matrem conspicati, renunciant casos esse duos illius filios Thomam ac Matthiam, imperatoris iussu; ipsi moriendum. Aderat uxor Thomæ (Justam vocabant) cum liberis tribus. Cui centurio, Tibi, inquit, ac filia tuæ vitam indulget Rex; filios mori jubet. Hic vero miserum ac triste spectaculum. Martha latari quod suis duobus filiis concessa martyrii corona foret, quod sibi pariter concedenda; oculos manusque in cælum tollere, agere Superis hominibusque gratias: uxor Thomæ contra lamentari miserabilem in modum; marere quodd' eriperetur sibi sperata dudum palma, quodd' vivere cogeretur. Interim Martha nepotulos suos Justum & Jacobum arcessit, alterum undecim, alterum septem annos natum: introgressos amplexa osculatur: & Parens, ait, vester, itemque patruus, pro Christo mortem obierunt: eadem mihi vobisque fors imminet; ecquid gestit animus illos ad cælum, ubi vos expectant, consequi? Respondent pueri, nihil in votis aliud sibi esse: hoc unum duntaxat quæsierunt, an certa & explorata narraret; tum, quod esset tempus morti beatæ destinatum. Certa narro, Martha retulit, jam jam vobis mihi que moriendum: ite, supremum vale matri dicitote, vosque comparete, dum vestes lautas utrique depropero. Pueruli, velut aliquò peregrè profecturi, excutiunt sua scrinia, munuscula nutricibus, & crepundia suis æqualibus dividunt.

Martha post paulò pergit ad nurum: consolatur marentem non tam de filiorum sorte, quam de sua; spem similis fortunæ ac necis facit, docet propriam ipsi laudem ac meritum ingens manere, quæ in tot carissimorum pignorum morte sapius una moreretur. Justa silentio lacrymisque respondebat. Ubi vero filios vidit candida indutos veste, martyrii videlicet candidatos, qui ad matris genua procumbentes orabant ut sibi morituris bene precaretur; dolorem, quoad potuit, vultu dissimulans, arcte ambos complectitur, intendensque vocem, Mæsti, inquit, vos patre dignos, dignos Christo probate. Hic dies initium vobis æternæ felicitatis & vitæ est. En pater ac patruus vos ad se vocant: Christus regni cœlestis fores pandit, Angeli coronas capitibus imponunt. Ite in cælum,
bonis

bonis omnibus, & mortem vestram illi qui pro vobis mortuus est, reddite. Cum ad triumphi vestri locum perveneritis, genua flectite, complicate manus, JESUM ac MARIAM crebro appellate. Miseram me, cui vos comitari non licet! Hac dicens ora lacrymis & sua & filiorum perfundebat. Stabant lictores taciti, & commiseratione defixi. Jamque se mitescere sentientes, ac veriti ne dolore vincerentur, tenellos agnos matri eripiunt, ac lectica cum avia imponunt. Effuderat se tota civitas, videndi studio, in plateam. Cum vero è lectica pueruli prodierunt, erupit vulgi clamor, indignatione adversus tantam immanitatem mistus. Illi, neque populi concursu, neque confuso murmure attoniti, genua flectunt prope lictores, collum nudant, parvulas jungunt manus, JESU & MARIÆ nomina dulcissima ingeminant. Junioris, ut carnifici propior steterat, decisum caput concidit ante fratrem. Ille ne se commovit quidem. Exclamavit ingemiscens populus, quo clamore perterritus licitor trepidante gladio cervicula pueri confestim abscidit. Spectabat nepotum constantiam Martha cum incredibili gaudio. Processit firmo constantique gradu, & salutata multitudine, exemit collo geminam reliquiarum sacrarum thecam; alteram filiae misit, alteram Regis fratris, quem à parvulo eduxerat. Alia quaedam pia munera distribuit Christianis adstantibus, ac demum post fusas ardore insigni preces, collum carnifici praubit.

Arimæ Rex imperatori cuncta lætus narravit. Daifusama ut pergeret horatus est. Currentem incitavit Sasioius; eique consilium suggestit, dignum filio parricida, nempe ut fratribus suis necem quoque conscisceret. His enim, inquit, vivis, constare pax tibi nulla & securitas unquam potest. Regni spem foveat, eodem atque tu scilicet patre nati: causam ejus invadendi præclaram habent, ultionem paterni sanguinis a te profusi: opes ad rem perficiendam & auxilia non difficile consequentur à Christianis ambo Christiani. Bellum vult, qui belli duces alit. Denique juste illis mors inferitur, quorum pater capitali affectus supplicio fuerit: ita legibus sancitum. Hac oratione Rex Arimæ indammatus provinciam dat fido centurioni, ut fratres suos quamprimum, captato tempore, interficiat. Erant admodum pueri: major octavum annum vix attingerat. Huic Franciscus nomen; minori, Matthæus. Ad utrumque perdendum eò Rex erat propensior, quòd uxori suæ, seu potius pellici, gratum id munus fore non dubitaret. Oderat parvulos mulier scelerata, ut regni paterni heredes, ut Christianos. Conclusi primum fuerant in conclavi quodam, & rumor sparsus amandatos Meacum ad visendam matrem. Abditi latere per dies quadraginta, quos in assiduis precibus jejuniisque consumpserunt. Mirum id in hac ætate videatur: sed ita pro certo famulus affirmavit, iis ad quotidianum ministerium relictus unus, & in singulos dies tragœdiæ feralem exitum expectans. Multa nocte, cum jacerent in lectis compositi, licitor adest suspensio gradu, & pugionem in Matthæi sinu condit; collum ejus fratri secat. Ita sensu mortis, at non præmio, destituta perierunt infantes victimæ, fraternæ ambitioni, femineo furori mactata.

P. Morejonus necessariam, nec difficilem tamen, consolationem cum trilli nuncio attulit amborum matri, cujus conscientiam Meaci & pietatem regebat. Haud facile reperire est feminam graviore probatam calamitate, aut in ea ferenda fortiorem. Ejus mater ac fratres, idolorum cultores, opibus & honoribus florebat: ejusdem privignus Arimæ Rex, ob desertam Christi fidem regno, scelerum pretio, fruebatur; ipsa, ob eandem constantissime servatam, orbata viro filiisque, regno spoliata, omnibus exuta fortunis, vitam in exilio & luctu trahebat. Audita liberorum nece, lacrymas parumper naturæ indulsit maternæque pietati. Sed brevi fortem animum cum voce tollens, sic Patrem est affata. *Duo me consolantur: unum, quòd filii mei in ipso flore pietatis & innocentia, quem deterere solet provecioris ætatis licentia, perierint: timebam ne fratris exempla potius, quam mea monita, olim sequerentur: nunc metu futuri soluta sum. Alterum, quòd mei cujusdam voti compos sum. Voveram, cum Rex Arimæ vir meus casus est, meum ac liberorum meorum caput, pro ejus salute sempiterna, & pro ejusdem expiandis delictis; nunc illius salutem in tuto collocatam arbitror, siquidem Deus me voti ream fecit. Admiratus Pater Christianum & virile pectus, virtutem colaudavit,*

laudavit, admonens metuendam potius improborum felicitatem esse quam optandam, quippe causam & omen æternæ infelicitatis, proborum vero calamitates pignora esse immortalis vitæ ac beatitatis; siquidem Deus *quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* *.

Rex Arimæ nece patris, fratrum, ac procerum irritatus magis, quam satiatum, ubi vidit illustria & palmaria tot scelera tam facile, tam gloriose perpetrata, credidit alia leviora nullo negotio confectum iri; nec ferro deinceps, at verbis duntaxat opus fore. Arcessit Bonzium, eloquentia, probitatis opinione, doctrinaque conspicuum, haud dubius quin ab eo vincerentur Christiani, si tantum doctorem vel semel audirent. Subeuntem ipse cum Regina excepit singulari veneratione; nec ita multo post in concionem produxit, verba publicè facturum. Auditus est ab ethnicis sanè frequentibus; irrisus ac refutatus a Christianis. Speravit Rex audiendum commodius in ipsa regia. Jubentur adesse proceres. Convenit lecta nobilitas. Surgit ad dicendum circulator vafer. Postquam peroravit, corollas quasdam singulis obulit, sive trajectos filo globulos, quibus utuntur Japones ad preces fictis Numinibus fundendas. A proceribus Christianis fuerunt repudiata. Regina nobilibus puellis imperavit eas ut acciperent. Negarunt id facere Christianas posse. Ergo ipsa ultro invitis obrustit, manibusque inseruit: excidere de manibus passæ sunt. Una etiam, cui nomen Maxentia, litteris merito consignandum, corollam supersticiosam impexit Bonzio, quem ignominie dolor furore inflammavit. Nec levius excanduit Regina. Itaque continuo edixit ut nobiles feminae sacra rosaria, quæ gerebant è collo suspensa, projicerent. Nulla projecit. Vix temperavit manibus uxor tyranni: facessere procul verbis ac minis oburgatas jussit, dimissoque honorificè Bonzio, stomachum omnem in Maxentiam erupit. Corripitur infelix, & in custodiam conjicitur, in qua multos dies impasta mansit; incolumis tamen & ore vegeto, non sine magna omnium admiratione. Exilio deinde damnata, dynastæ crudeli traditur in servitutem, ut inter mediastinos, in vilissimis rei domesticæ ministeriis, confensceret. Quemadmodum Reginam puella vicerant: sic Regem pueri, quos ille honoris & obsequii causa frequentes habebat in regia, non dissimili constantia superarunt. Nihil non egit, eos ut induceret ad accipiendas Bonzii corollas; & nihil tamen egit. Quin etiam unus reliquis audacior, frustra istas Christianis commendari nugas respondit, rectiusque facturum Regem, si religionis, quam professus olim erat, monumenta resumeret, aliisque retinenda suaderet. Tot responsa durissima, non virorum modo sed puerorum, impotentem animum tyranni gravissimè vulnerarunt. Laxavit iracundiæ frenos, & ultima experiri statuit.

Patres nullam interponendam esse moram censuerunt, quin majora quædam præsidia firmandis Fidelium animis conquirent. Experientia cognitam habebant piarum sodalitatum utilitatem. Similes illas rectè dixeris speculis concavis, quorum ope collecti, & coeuntes unum in centrum, radii contrahunt urendi vim admirabilem, quam separati disjunctique aut nullam aut perexiguam habent. Placuit igitur instituere Martyrum sodalitatem, eique leges istæ sunt præscriptæ. Prima, ut sodales prompti essent atque expediti ad exilium, & necem quamlibet Christi causa perferendam. Altera, ut ad martyrium se compararent jejuniis, precibus ac ceteris corporum pœnis ultrò susceptis. Tertia, ut bis hebdomada qualibet convenirent, & rationes tuendæ firmandæque religionis dispicerent. Quarta, nemo ut in sodalitium cooptaretur, qui semel ejurasset Fidem: nisi & Deo pro noxa per pœnitentiam; & hominibus, pro exempli dati pravitate, per illustria sanctioris vitæ documenta satisfecisset. Postrema, ut certi è sodalicio constituerent, qui curam gererent pecuniæ à Christianis ad pauperes & exules alendos oblata. Hæc sodalitas nata primum Arimæ, ad alias urbes & regna celerimè permanavit. Pueri, parentum exemplo, propriam quoque Martyrum instituerunt sodalitatem, cui leges arati suæ consentaneas sanxerunt, sanctitasque incredibili sedulitate servarunt. Dum hæc religionis subsidia ex Arimensi civitate per totam Japoniam disseminabantur: belli quoque contra religionem concitati terror immanitasque latius fundebatur. Degebat in urbe Yendo Xogunus (id no-

Dartis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

M m m

men

* Ad Rom. VIII.

50.
Rex Arimæ novis artibus Christum neophytis eripere frustra tentat.

51.
Sodalitas Martyrum a Patribus instituitur. Crudele est persecutio.

men filio Daifusam.) In eadem urbe Patres Franciscani, quos Recollectos vocant, sacram habebant ædem. Hæc, ut vici cujusdam angustia laxarentur, eversa fuerat. P. Ludovicus Sotelus cœnobii Franciscani moderator, aliam continuo extra civitatis pomerium fabricatus erat. Hinc nova tempestas. Delata res ab ethnicis ad Xogunum. Conqueruntur vigere prohibitam legem: augeri non modo majore in dies hominum numero, verum etiam templorum: violari palam à peregrinis edicta imperatoria, moles regias & arces attolli. Exemplo Princeps comprehendi plurimos Christi cultores, & sacram ædem excindi jubet. Deinde vicorum præfectis edicit, ut nomina Christianorum excipiant. Capere omnes ergastula publica non potuerunt. Ergo suæ quemque domi concludi, & à vicinis custodiri, donec singulorum causa cognosceretur, imperat. Hoc vero cum universæ civitati permolestum accideret, datur facultas iisdem vicorum præfectis exercendi cognitionem illam, & Christianos à veritis sacris, volentes nolentes, qua vi, qua precibus & blanditiis abducendi. Tum vero, immisiss velut habenis, ethnicorum furor piorum gregem invasit. Singulæ domus in singulas mutatæ subito lanienas, laments, verberibus, cruciatibus, personabant. Tot pænè carnifices, quot cives: amici extorquere amicis pietatem, pietatis & amicitia studio, nitentibus: inimici privata satiabant odia per nomen & causam religionis: filii, ut parentum salutem & vitam consulerent, hostili modo in eisdem sævire pulcrum sibi & licitum arbitrabantur. Multi barbaram crudelitatem exosi, fame, compedibus, probris, & aliis quæ patientiam indignitate ac diuturnitate magis delassant, quàm cruciant acerbitate, utebantur. Minus pœnæ properata & horrida mors, quàm lenta sic & in speciem mitior, habuisset. Verùm cum ejusmodi sava lenitate religionis hostes molestiam inutilem odiosamque diu suscepissent, a privatis cruciatibus ad publicam carnificinam ventum est. Octo neophyti, qui ædiculæ P. Soteli construendæ præfuerant, capite plexi. Die insequenti XVI. Kal. Septemb. MDCXII. alii quatuordecim, per vicos urbis & populi sannas ac ludibria circumducti, pariter obruncantur. Corpora membratim concisa ludentes carnificum fidas exercuerunt: capita clavis affixa, tabulæ marginem, in qua necis causa majoribus exarata litteris legebatur, exornarunt. Alii subinde atque alii eodem affecti supplicio steterunt, ut Cyprianus * de veteribus illis Christi testibus prædicat, *torti torquentibus fortiores; nec cessere suppliciis, sed illis postea tormenta cesserunt. Finem doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt.* Flagrabat ejusdem gloriæ ac martyrii cupiditate P. Ludovicus Sotelus, conjectus in vincula ob ædem sacram injussu Principis constructam. Intra exilium tamen pœna stetit. Adhuc enim putabant Japones temperandum exteris: ita suadebat utilitas publica, quæ regnorum habenas vulgo moderatur. Multis egentibus Japones, quæ importantur ex imperio Sinenfi: eas nisi per Lusitanos nancisci commodè non poterant: nam Sinæ universam nationem Japonum aversantur & contemunt: quamobrem inter utrosque commercii vix quidquam intercedit. Erat autem imperatori Japoniæ persuasum, fore ut Lusitani aliò suas conferrent merces, si sacerdotes illorum mactarentur. Itaque religiosis viris tandiu pepercit, quandiu Lusitanorum opera visa fuit necessaria. Sed postquam commercii par utilitas oblata est à Batavis, quos de religione parum videbat sollicitos; imo quibus invisos, itidem ut sibi, religiosos viros cernebat esse; postquam ab iisdem adducti fuerunt in odium & suspicionem præcones Evangelii, quasi viam sternerent ad Japoniam Europæis Principibus prodendam, tunc in sacerdotes æque ac populum impius furor desaviiit. Conciror præcipuus & artifex crudelitatis erat Sasioius, Nangazachii præfectus, quo, ut diximus, regni administro Daifusam; Michael, Arimæ Rex, moderatore ac magistro saviendi, utebatur. Ille Christi discipulos è suis cladibus fortiores, & ex ipsa prope morte redivivos quotidie surgere dolens, putavit igni consumendos, qui ferro excindi non poterant. Ergo, sive imperatoris jussu, sive sponte sua & crudelitatis ingenio stimulatus, ad Arimæ Regem scribit iratum ipsi Daifusamam, quòd religionis peregrinæ sectatores tractaret indulgentius: esse qui suspicarentur ipsum ad eorum partes & pristina sacra rediisse. Rex istis litteris, tanquam cæstro percitus, delere calumniam sanguine

* In epist. ad Martyres.

guine Christiano, & iniustis suppliciis imperatori probare suum adversus divinam legem odium, constituit. Hac mente vocat octo proceres, virtutum omnium, ac præcipuè studio religionis clarissimos: docet quas acceperit litteras, laudat illorum pietatem, opem implorat. Neque verò, inquit, peto ut sanguinem mea causa profundatis; quod vos tamen, si petam, facturos nullus dubito: ne id quidem postulo ut religionem vestram abjiciatis; quod nunquam, ut vestra est pietas, facturos certo scio. Id unum precor ut parumper dissimulare ne pigeat, donec iste turbo prætervolet. Christianus, perinde ac vos, ipse sum, & ostendam in loco: sed est consilii & prudentiæ paulum servire tempori, & vela turbidis in rebus contrahere. Si nunc obniti ardentius imperatori tendam, certa & vestra & mea clades; si cedo paulisper & obsequor, vos meque servo. Nihil in exigui temporis mora, & necessaria dissimulatione, sceleris est; in ea salus mea vestraque vertitur: hanc si mihi datis, regnum hoc & caput vobis debere me arbitrabor. Sin istas preces respuitis, cogar, invitus licet, in vobis experiri quidquid Rex iratus potest. Hac oratione, quam arte multa, obtestatione, & lacrymis armabat, percussis proceres quinque, dissimulandi partes, ne Principem amicum perderent, sumpsere: alii tres sibi nefas per æterni Regis legem esse responderunt, violare datam illi fidem dissimulatione perfida, & sempiterni exitii periculum adire: testes esse vulnera, quæ in adversis gerebant pectoribus, suæ in Regem voluntatis, cujus caput non dubitarent redimere suo: demum orant ut ne perduelles atque impii cogantur esse in cœli Regem, cui debebant vita mortalis commoda; & a quo immortalis ac beatæ vitæ præmium expectabant. Lætus de fracta procerum quinque constantia Rex iram continuit, neque in tres alios acerbius invehitur. Benigne dimittit monitos ut per otium consulant quid suis fortunis & familiis expediat: id si prudenter expenderent, mentem proculdubio mutaturos. Tum Sasioium suum de re tota certiores facit. Rescripsit veterator initia hæc belle procedere, sed pergendum: ac ne quis regia in posterum temere iussa sperneret, cremandos lento incendio, cum liberis & uxoribus, pertinaces. Atrocitas immanis consilii dubium & resitantem aliquandiu Arimæ Regem tenuit. Sensit ejus uxor, litterarum a Sasio scriptarum conscia. Maritum admonet agi regnum ipsius & caput: eò rem progressam, ut illi aut istis tribus pereundum sit. Provincia datur Arimæ gubernatoribus ut lento igne reos quamprimum concremandos curent.

Significata Christi militibus sententia III. Nonas Octobr. anni MDCXIII. Primo nomen erat Adrianus Tacafascius: Alteri, Leo Faiafcida: tertio, Leo Caniemonus. Arrepta continuo, & cum maritis vincæ, Martha uxor Faiafcida: Joanna conjux Tacafascii, ejusque liberi duo, Jacobus undecim annorum puerulus, & Magdalena, quæ voto virginittatis edito, cœlestem in terris vitam agebat. Sed Monica Caniemoni uxor, Regis patruo ejus vitam & libertatem deprecanti, donata est: ipsius tamen filius Paulus, annos septem & viginti natus, in eundem cum patre carcerem perductus, & eidem additus rogo fuit. Triste beneficium recusavit Monica: millies erumpere ad virum, & ejus optatissimam subire sortem tentavit: in alium remotiorem tutioremque deportata locum, effugit denique, & ad maritum pervenit: sed ab eodem avulsa, vitam incendiis omnibus & mortibus acerbiorum retinere coacta est.

Vulgata sententiæ in martyres dicta fama regnum implevit metu. Præter illum Societatis sacerdotem, qui latebat Arimæ, venerunt alii Nangazachio, suppetias laturo Christi pugilibus. Primum illos adire, qui a Fide, ut Regi gratificarentur, desciverant: omnes Patrum cohortatione, sociorum exemplo, Christiani populi concursu & alacritate permoti, saniora consilia, Deo aspirante, ceperunt. Arimam è vicinis urbibus & pagis confluerant Christianorum millia, facile viginti, ætatis cujuslibet, sexus, & conditionis: utque omnem Principi demerent merum, sine gladio & sica, præter Japonum morem. Pro armis & apparatu reliquo, pendebant è collo rosaria, religionis insigne. Omnibus martyrii spes, & votum: ea cura una sollicitos habuerat; nulla de cibo & annonâ: nimirum ad promptam & certam venire se necem arbitrabantur. Ne quid tamen

Mmm 2 decesser

52.
Tres dynastie
lento igne com-
busti cum uxori-
bus & liberis.

deesset multitudini tanta, provisum fuit ab Arimensibus Christianis. Portis exclusi triduo ante urbem consistere. Noctu focos accendebant, quibus cum arderent circum urbem agri, timor injectus tyranno est; missique ab eo centuriones edixerunt ut domum se quisque reciperet; ni facerent, a regis cohortibus trucidandos in ipso vestigio. Larum clamorem omnes sustulerunt, & in se coarctati, ne quod irritum in confertos telum caderet, felicem horam, que celo mactatos inferret, opperiebantur. Haud minorem Bonziis in urbe ipsa degentibus, quam Regi, metum inculserat iste inermis exercitus. Terrore correpti, alii confugerunt in arcem, alii Nangazachium evasere, partemque sui metus non modicam aspersere Sasio; captam Arimam à Christianis, casum Principem, reos in libertatem vindicatos, narrabant, Dirigit metu: quippe istius tragediæ machinator, cujus omne periculum suo capite luendum prospiciebat. Rem diligenter exquiri: salvum Principem, quietam omnia, Christianos non ad pugnam, sed ad mortem advolasse, brevi cognovit.

At quatuor illi proceres, qui simulata in gratiam Regis falsa religione, thura fidei numinibus adoleverant, conspecto Christianorum coetu, ruunt in medios: culpam publicè consententur profusus lacrymis, & veniam infimis precibus flagitant. Inde ad urbis gubernatorem festinantes profitentur se Christianos, idola detestantur, sectam Bonziorum, in quam dederant nomen, ejurant; domum & fortunas sisco, se iudicibus ad omnia supplicia paratissimos, dedunt. Gubernator admirans constantiam oris atque orationis, respondit suum non esse quidquam de illorum bonis aut vita statuere, donec resciret mentem Regis. Parum lati hoc responso conferunt se ad carcerem, & ad sociorum abjecti pedes, ab iis veniam multo cum fletu precantur: à satellitibus flagitant ut liceat in carcere consistere. Nihil exorarunt aliud, nisi ut inclusi vicina domo sententiam Principis preestolarentur. Inde ad Bonzios litteras dant, quibus retextebant, & infectum volebant esse quidquid contra Christianam Fidem a se factum dictumve esset, seque ad crimen eluendum sanguine paratos denunciabant. Princeps, cognita re, metuens ne quid novi & molesti negotii cum istis susciperet, liberos iussit esse in presentia, causam ipsorum aliud in tempus rejecit. Hoc Regis responsum gravissimam sui sceleris poenam rati, comam secuerunt; & relicta cum opibus amplissimis aula, in exilium & paupertatem voluntariam marentes, eum omni familia, procul recessere, ut hac civili saltem morte, quoniam aliam non licebat, fruerentur. Interim viginti Christianorum millia urbem cingere pergebant, expectantia diem beatum, quo tres alii proceres, rogo additi, prodirent in campum certamini destinatum, ut festo concursu laudibusque illorum triumphum cohonestarent. Angebatur animo Rex, ac timebat ne tanta multitudo sibi reos eriperet, aut urbem etiam occuparet. Itaque clam in custodia necandos censuit. Consilium odorati Christiani ruunt ad custodiam, ad sacra cesorum pignora diripienda. Trepidantem tyrannum, & seditionis terrore attonitum primores Christiani, a Patribus admoniti, metu liberarunt: nihil parari per vim & tumultum oppidi gubernatoribus affirmantes; populo id unum esse propositum ut carissimorum fratrum ornaret funus presentia sua lacrymisque minus fore tumultus, si res gereretur longius ab urbe, in aperto patentique campo: daturos se operam ut sua Regi & magistratibus reverentia, securitas militibus licetoribusque constaret. Hoc ipsum Principi gubernatores urbis non ægrè persuaserunt, Patrum Societatis auctoritate, a quibus id consilii profectum sciebant, & nota Christianorum probitate ac modestia freti. Ergo ingens planities designatur, in eaque deproperatur à ligno ædificium, cujus fastigium columnis totidem ligneis fultum, quot erant martyres concremandi, stramine arundinibusque tegebatur. Ingens & vacua in orbem undique area, duplici & denso stipitem ordine præcincta spectantes submovebat. Inter septum hoc & ligneum ædificium, arida lignorum congeries jacebat, paribus intervallis disposita, cui paulatim ignis admotus ad martyres serperet, eosque demum cum lignea domuncula involveret.

Aderant Nonæ Octobres. Renunciatur victis supremum hunc ipsis diem fore. Omnes in genua suppliciter provoluti gratias immortales egere Superis, seque

seque conditori suo *holocausta in odorem suavitatis* obtulerunt : deinde amantissime invicem complectentes , & præclaram sibi sortem gratulati , expiatis sacra confessione animis , cœlestem hostiam , Deum in ara pro ipsis immolatum , a Patribus Societatis acceperunt . Nihil erat optatius nostris , quàm generosos pugiles in arenam producere , & coram adesse pugnantibus . Ne facerent ab ipsis martyribus & Christianis rogati sunt , interesse religionis dicitantibus ut late- rent . Neque enim dubitari posse quin comprehenderentur , si prodirent in publicum ; aut graviori exilio mulctarentur . Itaque sodalitorum præfectis rei totius administrandæ provinciam Patres demandant , ac suas in latebras abdunt se ; unde sublatis in cœlum manibus pugnarent precando , & victoriam dimicantibus athletis exorarent . Moniti confestim ab istis præfectis Christiani emissos carcere martyres in destinatam planitiem deduxerunt .

Haud facile visam aliàs inter Christianos , post Ecclesiam Dei conditam , crediderim illustriorem pompam , aut insigniorem triumphum ; sive numerum procedentium , sive ordinem ac modestiam spectes . Varias in turmas distributa , pia multitudo partim præcedebat coronandos martyrio pugiles , partim sequebatur . Litanias Deiparæ ac Sanctorum concinens . Seni æquatis frontibus incedebant , quindecim pedum spatio post senos quosque vacuo . Cives Christiani Arimæ , istis advenis permixti , ceream gestabant in manu facem , in capite corollam & floribus : peregrini , qui carebant face , rosarium præferabant . In medio triumphales victimæ . Viri candidis vestibus amicti , revinctis post terga manibus : feminae similiter vinctæ , at exquisitis culturæ vestimentis . Unus ille annorum undecim puer , Adriani & Joannæ filius , solutus ibat ; funes quibus vinciretur anxie postulans identidem . Illum excipere brachiis aliqui tentaverunt . At ille , Sinite me , inquit , pedibus ingredi ; Christus ad Crucem pedes ivit : hoc tempus labori , æternis quieti dabitur . Spiritum Sanctum in puero loquentem omnes agnovere . Quin etiam collacrymantes nonnullos sive gaudio , sive commiseratione , increpuit . Postquam in planitiem certamini ac triumpho assignatam perventum est , expalluit ad feralem apparatus multitudo . Heroes lato vultu , interriti , gestientes , velut in conspersam rosis arcam prodire : neque lictoribus expectatis (id quod omnes a metu ad lætitiæ & admirationem traduxit) unusquisque ad suam , ubi colligandus erat , lignæ fabricæ columnam cucurrit ; arcuè illam complexus , ac suaviter deosculans . Leo Caniemonus evasit in summum ædificii culmen , cui tanquam cathedræ insidens , & manu significans , magno sic ore cœpit . Christianæ Fidei vim hodie , carissimi fratres , agnoscite : ignes istos videmus læti , lætiores ; Deo favente , excipiemus . Corporum exuvias morti sponte damus , olim excitandas è tumulo : animas beatæ immortalisque vitæ spe certissima consolamur . Ceterum ethnicis contestor ego jam moriturus , nusquam nisi in religione Christiana locum salutis esse posse ; quam quicumque non amplectitur , alios patietur ignes , quos nulla diuturnitas seculorum extinguet . At vos , Christi cultores & servi , ne terreat hæc tormenti facies : levis pœna , merces æterna . Estote nobis universi testes , quod nullam aliam ob causam , nisi propter Christi JESU Fidem morimur . Hæc dicentem & parantem plura , circumfusæ multitudinis gemitus , lacrymæ , gratulatio , interpellarunt . Quocirca delapsus , suæ se columnæ applicuit . Tum sodalitiæ majoris dux , uti a Patribus Societatis fuerat imperatum , vexillum ingens è serico panno extulit , in quo Christi ad columnam constructi effigies picta cernebatur ; vocemque intendens , En , inquit , fratres , Servator vester , ad columnam quoque alligatus ; pro quo estis morituri . Spectat ille vos è cœlo , milites suos , & suorum cruciatuum imitatores ; habet præ manibus coronas , quibus victores muneretur . Certate fortiter ad extremum usque spiritum , & vitam illi , qui suam vobis dedit , læti lubentesque reddite .

Deserat , cum lictores ignem rogis admoverunt . Ad primum micantis flammæ splendorem , concidit in genua Christianorum exercitus , ac Superis omnibus preces ab imo fudit pectore . Lamentis , clamoribus , suspiriis campus lætè personuit . Martyres quandiu vox & flamma sivit , inter se cohortabantur ; aut laudes divinas contenta voce iterabant . Caniemonus oculos a cœlo nunquam demovit ,

53.
Patres Societatis Sacrum Viaticum imperiunt martyribus in carcere : vetantur adesse morientibus.

movit, eoque statu oris lato & composito, primus omnium absumptus est. Fati-
 ascida, cum jam undique flammis cingeretur, JESUM & MARIAM tanta con-
 tentione pronuntiavit, ut ab omnibus exaudiretur: vita clamantem defecit. At
 quantum aetas imbecilla Jacobi pueruli formidinis attulerat Christianis, tantum
 ejus constantia gaudii gloriaeque peperit. Ambusto corpusculo, cum ejus funes
 ignis solvisset, cucurrit ad matrem per media incendia, & eam blandè ample-
 xatus est. Cui mater, dolore & amore fortior, Fili, inquit, cœlum intues
 JESUM & MARIAM invoca. Cum puer sanctissima nomina tertio repeteret,
 animulam in sinu matris deposuit: moxque super filiolum corruens generosa ma-
 ter occubuit.

54.
 Admirandum
 puellæ facinus.
 Martyrum cor-
 pora in templo
 Societatis con-
 dita.

Præcipuam admirationem, & ab hominibus Superisque plausum tulit Mag-
 dalenæ virginis illustre ad posteritatis memoriam facinus. Consuevere Japones,
 quæ magni aestimant, ea imponere capiti. Ruptis igitur igne vinculis puellæ,
 flammis voracibus undique depasta, demisit se, candentesque prunas utraque
 colligens manu, capiti venerabunda, tanquam geniale fertum, imposuit: deinde
 placidissime succumbens, cum se prius ipsa coronasset, victorem Deo spiritum
 reddidit. Gloriosa Japonia, quæ tam fortes animas ediderit! Fortunata Societas
 Jesu, quæ tales laborum suorum fructus collegerit! Felix aetas, quæ tales viderit
 triumphos! At infelix inertia Christianorum, qui religionis in sinu à tot seculis
 educati, fallaces voluptatum illecebras detrectant vincere; cum rogos isti modo
 nati Christiani & lenta incendia superarint!

Statim atque Christus athletas suos aternitatis laurea donandos accepit,
 Christiani perfractis repagulis, per accensos ignes, per satellitum tela, proru-
 perunt, ut sacra pignora tollerent. Nangazachium delata sunt, & in templo So-
 cietatis Jesu cum honore condita: ligna, columnæ, cineres ipsi asservati à neo-
 phytis, monumenta victoriæ, virtutis incitamenta. Japonensis Episcopus rem
 gestam, multis certisque auctoribus cognitam, ac rite testatam, in publicas re-
 ferendam tabulas curavit, è quibus ea quæ modo narrata sunt, hausimus. Per
 idem tempus Nangazachium ad nos deportatæ sunt tristes Facatensis templi reli-
 quia. Splendor insolitus ædem sacram ambire diu visus, fabros eam demoliri
 parantes terruerat. Nonnulli tamen petulantiores injicere profanas manus ædifi-
 cio adorti, subita trium columnarum ruina partim oppressi perierunt; partim
 gravissimis affecti vulneribus, eandem paulo post impietatis suæ poenam persol-
 verunt. Regulus, quo jubente diruta fuerat ædes sacra, non est ausus è ligno-
 rum strue quidquam in usus suos convertere, sed universam scaphis impositam
 Nangazachium ad Patres voluit deportari. Religioso pariter metu tactus Chi-
 cungi Rex templo Societatis pepercit: Socios tamen, multa excusans, dimisit. Non-
 nulli similiter dynastæ, quibus aut mitior indoles, aut minor tyranni metus, da-
 mnare Christianos exilio satis habuerunt. Præclari exules Fidem ac pietatem,
 quocumque accederent, inferebant. Illorum unus ad regnum Nagatense delatus,
 pagi frequentis incolas omnes Christiana informatos disciplina baptizavit; dele-
 ritque superstitionis omnibus vestigiis, collocavit Crucem in editiore loco, ad
 quam oraturi convenirent. Eò cum è sacerdotibus nostris quempiam postea ca-
 sus, an divinæ potius Providentiæ manus è deduxisset, vehementer obstupuit cum
 cerneret tam diligenter institutos, nec moribus minus, quàm nomine ac sanctæ
 legis professione, Christianos. Quod deerat supplevit: levavit fontes oneræ
 peccatorum; Divinam in omnium conspectu immolavit hostiam, & epulandam
 singulis apposuit.

55.
 Socii Meaco
 eieci. Tempa
 prostrata. Novi
 cruciatus exco-
 gitati.

Hæc persecutionis diræ flamma regnum Arimæ duntaxat ac vicina quædam
 corripuit; jam effundet se in omnem Japoniæ partem, ac triste incendium longè
 lateque sparget. Novæ crudelitati fomitem innocens casus dedit. Agebatur in
 crucem Meaci Christianus mercator, quia monetam nullâ Principis notâ signatam
 produxerat in commercium. Cum licet in ejus sinu lanceam defigeret, procu-
 buere in genua qui aderant Christiani, ut extremum morientis certamen piis pre-
 cibus adjuvarent. Ethnicis incidit suspicio id ab iis fieri quasi reum veneranti-
 bus. Urbis gubernator, nomini Christiano perinfensus, rem significavit impera-
 tori,

tori, exemploque Arimensium confirmavit, qui non modo reliquias crematorum corporum bustis ardentibus eripuerant, verum etiam stipites, quibus fuerant alligata, & supplicii reliqua instrumenta religiosè servaverant. Inde arguebat exilialem imperio Christianam gentem esse, quæ damnatos auctoritate publica propter violatas imperii leges, & affectos supplicio, coleret tanquam sanctos. Imperator, habito cum regni proceribus super ea re consilio, edixit ut Europæi omnes religiosi, sacerdotes Japones, & alii quilibet Ecclesiæ ministri, relegerentur; ædes sacræ funditus excinderentur; Christi cultores ad Fidem ejurandam compellerentur; ac simul provideretur ne interfectorum corpora venirent in eorum manus. Antequam edictum promulgaretur, missus è nostris unus fuerat à rectore collegii Meacensis ad imperatorem, ut ejus suspensiones evelleret, & quid à Christianis Meacensibus, quo consilio, quo more, esset factum, doceret. Egerrimè id Sasoïus, primarius regni administrer, tulit, ac ne conveniri posset imperator fecit, jactans dicitans aleam, & Christianis nunc denique esse pereundum. Hac voce, tanquam belli signo, Patres admoniti, ad pugnam se accingunt. Prima omnium cura fuit Christi milites instanti certamini preparare. Jam enim Christianorum nomina referebantur à regis ministris in indicem; certabantque cum parentibus liberi, cum feminis pueri, domini cum famulis, ut in albo necandorum scriberentur. Quin, ipsæ matres teneros lactentesque fetus obtulere. Mira fuit catechumenorum alacritas baptismum enixe flagitantium, quo armati fortius depugnarent: concessus est. Primus index quatuor Christianorum millia recenserebat. Territi numero magistratus mille tantum & septingentos, ceteris expunctis, retinuerunt. Erant Meaci è nostris quindecim: sex in hunc indicem sunt relati; & Nangazachium confestim jussi discedere: aliis opportuna latebræ antea provisæ fuerant. In communi sacrarum ædium strage intactum steterat Meacense templum Societatis. Id honori & nomini Taicosamæ datum fuerat, qui peculiari diplomate potestatem fecerat illius ædificandi. Patres in exilium profecturi convocarunt Christianos in ædem sacram sextodecimo Kalendas Martias anni MDCXIV. ut sacrificio, quod postremum ibi foret, interessent. Eo peracto, spoliarunt suis ornamentis altaria, nudarunt parietes; monumenta religionis omnia sustulerunt, ne paterent injuriæ. Exortus ingens piæ multitudinis ejulatus & lugubris lamentatio; in complexu Patrum carissimorum, & magistrorum. Socios in mærore tanto vox defecit: lacrymis perfusi ædem illam intuebantur deserendam a se, & jam jam æquandam solo; destituendum, lupique permittendum gregem suavissimum, in quo sexcentos inter labores & pericula colendo, annos sexaginta consumpserant. Duodecimo post die, perlatis jam Nangazachium Patribus, venit Meacum novus urbis gubernator, Sangamidonus, artis bellicæ gloria & Christianorum odio insignis.

Ut urbem subiit, instructus amplissima perdendi mactandique potestate, præfecturam auspicatus est ab evertendis ædibus Societatis ac templo, & aliquot sacellis. Inde per præconem pronunciat Christianis, legem extraneam statim deserendam, aut lentis ignibus deslagrandum. Proinde, qui Christo servare fidem constituerent, ii palum pro foribus suis desigerent, ad quem alligati comburerentur. Attonitus vidit postridie innumeros pro januis Christianorum stipites, ejus insultantes crudelitati, & incendia barbara provocantes. Egenti neophyto cum æs deesset, quo stipitem emeret, eum venditis vestimentis comparavit: eundem & femina zonæ pretio emptum narrant. Intellexit Sangamidonus, ejusmodi alacritatem nullo suppliciorum metu deterrendam. Itaque stipitibus revulsis, & in platea combustis, ad alias artes ingeniosam crudelitatem vertit, ut ignominie metu frangeret, quos cruciatuum acerbitate vinci posse diffidebat. Sic enim natura comparatum est, ut homines præsertim excelsi & ingentis animi, qualis est ferè tota Japonum natio, dedecore & contumelia gravius, quam acerbissimo quolibet supplicio crucientur. Vicus erat in urbe Meacensi, Christianorum idcirco dictus, quod in illo ethnicus, præter unum, nullus habitaret. Ex eo vicu viros omnes educit: tum arreptas illorum uxores & vestibus exutas conjicit in saccos stramineos, aut hirsuto junco textos, quibus oryzam in foro venalem rustici proponere

nere solebant. Contrudebantur singula suum in sacco, & arctissime vinciebantur. Solum caput exstabat è sacco, ut agnosci possent. Viginti septem include sunt istis ergastulis stramineis, & in publico proposita longa serie, ad spectaculum & ludibrium. Diem ibi noctemque sic perstiterunt, nive, quae plurima tunc depluebat, obruta, & frigore confecta. Additi fuerant matribus aliquot filii, & in facculos quoque suos, ut oraverant impensè, compacti. Postridie maritos, eductis uxoribus, in eadem saccorum vincula deprimunt, contumeliis antea omnibus oneratos. Sed à mulieribus & pueris visiti, mirum non est si à vicis nihil retulerint, præter admirationem patientiæ, quæ in omnibus exstitit singularis. Cumque ab amicis unus ita conclusus sacco fuisset ut lateret totus, egit huc illic se distorquendo, ut caput erumperet, seque prætereuntibus proderet cognoscendum. Placuit hæc ethnicis comœdia, multisque in locis est repetita. Illi denique velut ultimus ad ignominia cumulum actus accessit Meaci. Feminarum quidam cœtus à Julia, nobili matrona, Regis olim Tambæ sorore, nunc ob Christi Fidem exule, regebatur. Edito castitatis voto communem sub eodem rege, & angelicam ducebant vitam, quam ipsa etiam ethnicorum veneratio commendabat. Ubi vidit Julia suo quoque cœtui procellam imminere, subduxit periculo & nebulonum protervia juniores virgines; ipsa cum senioribus ad martirium se comparavit. Tentata sunt diebus quinque ut Christum abdicarent, aut saltem ut nomen suum deleri paterentur è Christianorum indice. Constante abnuerunt; ac, si nomen suum expungeretur, se vicatim ituras & Christum magna voce professuras affirmarunt. Ergo in saccos inclusa, & periculis sublimibus appensa, per civitatem circumlata sunt, stipante caterva satellitum, prosequente fannis & opprobriis plebecula. Hac pompa deducta fuerunt in eum, ubi de facinorosis supplicium fumebatur, locum, extra pomerium, & humi ferociter abjecta jacuerunt reliquo die toto, noctem integram, & diem insequentem, imbri, nivibus, frigori, ac civium turmatim concurrentium conviciis, exposita. Ab unius facto ceteras licet æstimare. Hanc amici & affines eximendam sacco, & lætica deportandam domum curaverant. Nunquam obtineri potuit ut sacculum suum dimitteret, ac magna voce, quacumque iter erat, clamitabat, *Christiana sum, abductor invita*. Postridie cum in paternis adibus liberam se deprehendit, aufugit clam cum sacco suo, & magnam urbis partem contento cursu emensa, socias revisit, utque in sacculum rursus abderetur impetravit. Judices attoniti constantia præceperant ut omnes libera dimitterentur, quasi libertatem emissent perfida defectione. Id suspicata, vociferantur se in eodem remansuras loco, nisi præco anteiret, Christianasque esse proclamaret. Imposita bajulis iterum per urbem circumvehuntur, una voce Christum concinentes: demum ignominia satiatæ, conjiciuntur in custodiam, donec significaret imperator quonam illas plecti modo vellet. Hoc specimine ludicrae feritatis Meaci edito, Sangamidonus Ozacam fufens procurrit, ac Societatis ædem sacram aspectans, non solum erui à fundamentis imperat, sed materiam ejus omnem in vicina, quam fluvius Ozacam præterfluens efficit, insula concremari. Deinde per compita prædicari, diem insequentem illis postremum fore, qui legem Christianam profiteri pergerent. Prima luce, ante horam constitutam, in platea reis plectendis destinata consisterunt Christiani trecenti, necem opperientes. Illorum partem in saccos detrudi, atque in pontibus & plateis exponi: partem nobiliorem vinculis mandari; pueros crudeliter flagris proscindi, jussit. Immaniora designabat, cum Deus impio furori mentas posuit. Perduellionis accusatus in Omense regnum exul ejicitur. Observatum est cum suis adibus & arce paterna spoliatum eo ipso die fuisse, quo sacram ædem Ozacæ comburebat. Hoc tortore depulso, respiravit Ozaca. Tempestas in urbem Sacaium incubuit. Quos animos ad eam perferendam Christiani attulerint, quid fuerit gestum a singulis præclare, si narrare fufius velim, modum oratio non habeat: indictum tamen & illaudatum præterire sexennem puerum est nefas; tam viriles animos præ se tulit! Illum adorti parentes periclitandi causa, Brevi, inquit, pro Christo morituri sumus; at nobis extinctis quid te fiet? Ego ut vobis extinctis vivam? retulit puer. Averrant Superi. Nulla

vis à suavissimis parentibus me divellet: vobiscum martyr moriar. Majus quidam opinione tua, subjecit parens, martyrium est, ac difficilius: tollent te in crucem, lancea cor transigent: lento igne vivum videntemque torrebunt: hæc tu ferēs tormenta scilicet, qui ferrum candens ne attingere quidem sustines? Tacuit puerulus, & ad focum accedens forcipes in ignem conjicit: jamque candentes arrepturus erat, nisi parentes, qui filiolum læti observabant, prohibuissent. Erupit in sctum, neque placari prius potuit, quam audiret se martyrio cum parentibus donandum.

Hanc martyrii, saltem celeris & aperti, gloriam plurimis negavit imperator; vivere miseris jubebat, ne martyres morentur, quòd unice ambiebant; tantisper cruces & incendia removit, quorum aspectu pietatem illorum inflammari ad imitandum cernebat. Tum etiam speravit fore ut ærumnosâ vitâ citius, quàm acerba morte Christiana constantia domaretur. Itaque neophytos complures in Tzugaram amandavit, extremæ Japoniæ plagam ad septentrionem, ut hanc regionem sterilem & horridam arando colendoque mansuescere cogere. Justum Ucondonum è Nangazachienfi portu solvere quamprimum & Japoniam deserere jussit, cum reliquis Patribus Societatis, quos ad eam diem impune remanere passus erat. Degebat Justus Canazavæ in Cangano regno. Illuc ad eum concurrebat magna pars nobilitatis Christianæ, ex aliis ejecta regnis: ibique duo è nostris pietatem beatorum exulum ita fovebant, ut exemplo ceteris Japoniæ partibus Canazava esset. Justo Ucondono erant nepotes quinque, quorum natu maximus annum decimum sextum; minimus octavum decurrebat. Erat conjux marito simillima. Utriusque vero filia, collocata gubernatoris trium regnorum filio, parentem sequi exulantem maluit, quam apud copiosum maritum residere; qui cum eandem sequi fortunam cuperet, à socero prohibitus est, & ad spem familiæ superesse jussus. Clam enim Christum colebat, neque in eum nominatim quidquam fuerat constitutum. Justus præclarum agmen agens, Canazavâ Nangazachium discessit V. Kal. Martias, cum Patribus. Addidit se illis comitem senex emeritus, olim regulus Tambæ, jam pro Christo bis exul. Discedentes gubernator oppidi armatus, inermes licet ac rebus omnibus spoliatos, observabat, futurum existimans ut non abirent inulti, Japonico more, qui miseris ac damnatis potestatem facit ulciscendi doloris sui. Neque vero deerant Ucondono clientes & amici, tanto duce metuendi. Gubernatori timorem Justus dempsit, ac docuit aliam se modo militiam sequi, aliis uti armis, patientia Christi nimirum & mansuetudine, quibus se ipsos vincere, non alios, Christiani discerent. Eæ vox & ademit gubernatori merum, & commiserationem movit, recordatione prioris fortunæ tanti viri, ac præsentis calamitatis. Effusi lacrymantisque oppidani lætos & ovantes persecuti sunt Nangazachium.

Firoximæ, quod est oppidum non ignobile in regno Aquì, beneficiis ac favore Tayudoni tetrarchæ floruerat hæcenus religio, vix ut ullo Japoniæ loco Christiana res esset ornatior. Verum in communi strage, lenius quidem, sed profligata tamen est. Tayudonus in aula versabatur cum edictum imperatoris est promulgatum: inde ad filium scripsit Firoximam, ut nostri maximo cum honore dimitterentur Nangazachium, in Christianam vero plebeculam, nobilibus omifis, terror sine graviore damno spargeretur. Plenæ humanitatis litteræ, quas ad Patres una cum diplomate imperatoris misit, satis erant signi quàm invitus eos amitteret. Nec minus officiosè parentis jussa exequutus est filius: terque ad nostros unum è proceribus allegavit, testificandi doloris sui & excusandi causa. E quinque Sociis tres erant sacerdotes: è sacerdotibus Europæi duo, unus Japon: hic, quia commodius latere posse videbatur, mansit neophytis operam ut daret; alii sunt in exilium profecti. Christiani Bungenfes, Magni Xaverii, à quo primum religionem hauserant, memores, constantiam & fidem suam in hoc turbulento tempore præ ceteris probaverunt, etiam amissis Patribus. Societas tribus in oppidis eos adjuvabat. Ex omnibus pulsa, profanatis monumentis antiquæ pietatis, disturbatis ædibus, ovile dulcissimum invitissima destituit: nec sine voluptate tamen certamina fortium Christi pugilum, & quos aspiraverat

56.
Novum exilium Patribus indictum. Diruta Societatis domicilia.

animos, procul vidit. Bonzius, cui baptismus dederat Benedicti nomen, nudus raptus est per tria passuum millia: sed cum levior hic illi cruciatus videretur, ultro se flagellis ipse, quam longum iter fuit, discidit. Deinde sacco inclusus cum aliis plerisque, humi jacuit aliquandiu, congestis super ipsum corporibus ita oppressus, ut ageret animam. Eductus ex illo acervo, utque a suscepta religione ad pristinum Bonzii munus descisceret, nequicquam incitatus; demum in vicinas delatus ædes, sanctissimè obiit. Rex Bungi lapidem omnem moverat, ut dynastem quemdam à Christi cultu deduceret. Adire illum statuit, seipso impertraturus, etiam cum aliquo dignitatis suæ dispendio, quod per alios obtinere nequiverat, ac tota majestatis mole stantem abjecturus. Dynastes, ut regem venire cognovit, obviam inermis processit, licet nobilis Japon sine gladio & pugio in publicum nullus prodeat: & accurrens, Magnam, inquit, habeo tibi, Rex, gratiam pro tam singulari, quo me afficis, honore. Beneficium agnosco: at simul profiteor mihi deliberatum esse Christi Fidem ad extremum usque spiritum retinere. In quo si reus sum, potes pœnam præsentem hujus delicti sumere. Sic locutus collum secandum nudabat, cum ejus filiulus decennis accelerat, ac lateri patris adjunctus, veste collum evolvit. Subiit pueri mater, mox avia; pariterque in genua provolutæ cervicem explicuerunt, impio secandam ferro. Sed Rex permotus admirabili spectaculo lacrymas non tenuit, seque domum attonitus & victus recepit.

Mortis metus sæpe ipsa morte gravior est; coque durior, quod iterari sæpe, non ipsa mors, potest. Itaque non simplice laurea donari meruit nobilis Christianus, qui de illo fortiter, nec semel, triumphavit, & cujus fortitudo Europæ in theatris exhibita*, & spectata cum plausu, fuit. Titus dicebatur; ejus uxor, Marina; filia, Martina: filii Matthæus & Simon: hic annos sexdecim, ille novem natus. Rex Bungi hunc sibi multis carum nominibus ita metu concutere decrevit, ut vinceret ac servaret. Omnibus exhaustis artibus, quæ Regi & amico venire poterant in mentem, denique petit ab eo juniorem filium, cui aut Fidem aut vitam eripiat. Facilius animo comprehendendi, quam explicari verbis potest patris miserrimi dolor, coacti tenellam victimam tyranno furenti dedere. Non tamen vita pueri tantum metuebat, quantum Fidei, & constantiæ. Dulcissimè illum complectitur, & pro re pauca, quæ tempus & ætas ferebat, monitum centurioni tradit. Avelli a parentum sinu puer sine lacrimis ac gemitu multo non potuit: paterna nihilominus oratione confirmatus, centurionem sequitur. Exacto biduo, redit ad Titum centurio idem: narrat ereptam filio vitam, quia religio eripi non potuit: ac filiam ejus ad necem pariter deposcit. Puella, utroque parente novissimis osculis & verbis salutato, in regiam abducitur.

Pauci dies abierant: adest novus a Rege nuncius. Ex eo Titus audit perisse filiam, quod in retinenda fide pertinax, Regi morem gerere abnuerit. Postulat filium ejusdem natu majorem, pari afficiendum supplicio, si pari sit pertinacia. Hoc fulmine percussus infelix parens dirigit: mater dolore ac silentio defixa diu stetit. Pater interim vocato filio, Frater tuus, inquit, ac soror necem pro Christi lege subierunt. Recepti cœlo te vocant, quid animi tibi est? Arcessit te Rex, impium ut faciat, aut martyrem. Utrum eligis? Si Fidem abdicas, abdicò te: Deusque suorum numero filiorum eximit, interque hostes habet. Si te fortem, ac fratris sororisque strenuum imitorem præbes, sempiternum tibi paratum est in cœlo regnum, quod postmodum ego materque tua consequemur. Macte, fili, dignum te Deo, dignum majoribus præsta. Tunc fulgorem acinacis exhorrescas, quem frater tuus, quem soror, oculis irerortis aspexerunt? Cum illorum recenti cruore tinctum regis pavimentum intueberis, dices, hæc per vestigia in cœlum itur. Perge, morere, vitam immortalem jactura vitæ brevis eme. Plura dicere paranti dolor vocem includit. Adolescens paterno maternoque luctu paulum consternatus hæsit: mox colligens animum, testatus est invidere se fratris ac sororis felicitati: nihil sibi esse optatius quam illos sequi, & sanguinem pro Christo fundere. Unum sibi dolere quod spectatoribus parentibus esset cariturus, ac suæ fidelitatis & obsequii testibus: gaudere tamen

57.

Nobilis Christianus amore ac timore fortior. Quidam exusti, aut obtruncati.

* In scena, Monachii, & alibi.

tamen, quia sperabat vitam se illis morte sua prorogaturum, mitigatâ irâ Principis, qui, cæsis liberis, facile parentibus ignosceret. Mox procidit in genua, orans ut sibi bene precarentur. Hoc uterque cumulatissime fecit, uberrim illacrymans: & lætum atque ovantem amplexi, liætoribus tradiderunt.

Restabat una patri, post abactos crudeliter liberos, consolatio, uxor egregiè pia, quæ nequaquam lamentans muliebriter, gratias potius pro tanto beneficio familiæ suæ concessio Superis agebat. Titus conjugis exemplo se sustentans, nihil pejus timebat, quam ne ab ea divelleretur: hoc ultimo telo ejus constantiam tyrannus appetiit. Passus enim illum dierum aliquot luctu macerari, cæsum filium significat, repetit uxorem. Dicit non potest quis utriusque, cum a se invicem abstracti sunt, sensus fuerit. Datum aliquid naturæ; vicit naturam gratia, & spes futuræ immortalitatis, quæ brevi ambos rursus jungeret. Domus tota suspiriis planctuque famulorum personabat. Flens populus matronam secutus est egredientem, & in omnium luctu lætam. Titus, rapta conjugè carissimâ, utque paulo post audivit, cæsa, suum caput postulanti Principi alacer obtulit. Jam quater, inquiebat, in uxore liberisque mortuus sum, quinta mors isthæc mea omnium accidet mihi facillima & jucundissima. Percussus inaudita virtute Rex feralem scenam subito vertit: uxorem illi & liberos salvos incolumesque sistit, omnesque laude multa ornatos, cum amplissima retinendâ religionis potestate, dimittit. Utrum mirari magis licet? nobilem hunc, tot rebus quæ sunt homini carissimâ, repente orbarum, non esse mortuum doloris magnitudine: an eundem, cum eas sibi redditas insperanti vidit, præ lætitiâ extinctum non fuisse. Victores domum reversi narrabant inter se summa cum voluptate quæ prælia, quo animo, quo successu, sustinissent: quæ pertulissent honestissima vulnera: famem toto triduo toleratam: retortas post tergum crudeliter confectasque manus; & alia id genus plurima, quæ cum audiret parens optimus, ita dolorem suum refricari acerbissima commemoratione sentiebat, ut ejus aculeos præsentis lætitiæ suavitas retunderet.

Hujus tragediæ lætus exitus fuit: en tibi alterius tristem & luctuosum. Erat in eodem Bungenfi regno vir inter Christianos apprime spectatus ob generis nobilitatem; nec minus propter virtutem, quam in gravissimis certaminibus pro religione commissis egregiè probaverat. Sed, ô virium humanarum imbecillitatem! cum hoc anno MDCXIV. recentium edictorum fragor increpisset, vocatus ad prælium & in arenam progressus corruit, seque nuncium Christo remittere, cum filiis duobus absentibus, Michaelè & Lino, scripsit. Filii, re cognitâ, vehementer indoluerunt & parentis impia defectione, & iniusta sibi calumnia. Gubernatorem adeunt, negant se mutasse mentem, aut scribenti patri assensisse: infestum irritumque velle, quidquid de ipsis scripsisset. Gubernator se cum magistratu deliberaturum respondit; audituros brevi quid foret constitutum. Ambo deinde patrem conveniunt, de injuria graviter expostulant; scelus admissum non molliter, quantum pietas ac reverentia sinebat, demonstrant; senem denique ita conturbant lacrymis, precibus, obtestatione repetita, ut ad judices recurrens detestetur factum, retexit dicta & scripta, se Christianum, ut animo semper, sic verbo quoque futurum contestetur. Comprehenditur statim cum filiis, & Maxentia Michaelis uxore. Rex à gubernatore certior factus, patrem in liberis cruciari primum jubet. Ergo vestibus exuti conjiciuntur in ferale saccos; & ad ludibrium, sub divo aliquandiu propositi, in carcerem abducuntur, ac septimo post die Michael & Linus educuntur ad rogam. Maxentia Michaelis conjux, capite pariter damnata, virum sequebatur, imo præcedebat, quamvis diebus quatuor torta: celeritatem hanc faciebat spes pœnæ similis: & vero tres apparere pali, cum suo quisque circumfuso rogo. Linus & Michael palos deosculati amplexique, post suas preces, iisdem alligati sunt: Maxentia, ne tertium ad stipitem vinciretur judices vetuere. Illuc adducta fuerat ad terrorem, non ad supplicium: quamquam ad supplicium etiam, & fortasse omnium acerbissimum. Siquidem nulla, gravior est pœna, quam si videas cruciari quem ames. Cum vero admotus ignis materiæ fuit, ter in medium incendium conata provolare; ter prohibita, & vi-

dere ac vivere, donec maritus exspirasset, est coacta. Eo cum ignibus tandem extincto, in Maxentiam, altera jam sui parte mortuam, omnis impiorum facellitum ac iudicium impetus est conversus. Promissa, preces, minas, omnia cum sperneret rideretque, intentatus est ejus gutturi sapius fulgentis gladii mucro. Illa carnificem securo increpans risu, Erras, inquit: si vis terrere me, vitam promitte. Mox, revolutis in vultum, qui per humeros & collum fluitabant, capillis, felicem acinacis ictum excepit. Hac levissima omnium, quas adhuc tulerat, poena fuit. Truncum cadaver injectum rogo, & una cum aliorum exuviis ipsique palis redactum in cineres, ac projectum in flumen fuit, ne quid Christianorum venerationi relinqueretur. Certis gravibusque testatum auctoribus est, conspectas noctu stellas, quarum fulgore indicatus fluvii locus, in quem felices reliquiae confluxerant. Collectae, & Nangazachium ad Patres Societatis deportatae sunt, Clemens (id Lini ac Michaelis patri nomen erat) sperabat futurum ut pari morte culpam elueret. Nihil in illum ejusque alios liberos ac nepotes gravius consultum est. Satis supplicii, credo, tulisse visus fuit, quod carissimos filios torqueri coram & mori, intactus ipse & immunis, vidisset.

Expulsis anno superiore Patribus Facata, cursum suum Christiana pietas nihilominus tenebat, connivente Chicugendono, urbis praefecto. Sed illi ad faciendum stimulos admovit edictum imperatoris. Pristinam lenitatis paulum oblitus aliquot exempla severitatis, ne Principi displiceret, edidit. Libellum proposuit hoc titulo inscriptum: *Eorum nomina qui Christianam Fidem abdicarunt*. In eo nomen aliqui suum ultrò professi; alii arrepta manu coacti sunt illud exarare, non nimis tamen reluctantes: alii manum alienam suae vicariam adhibuerunt. Quippe ditissimi totius Japoniae Facatenses habebantur: nec opibus cum caelo bene convenit, multo minus cum martyrio. Illorum perfidia illustriorem duorum fidem reddidit. Joachimus alteri nomen; Thomas alteri. Instantibus ut nomina sua in execrando conscriberent indice, Joachimus respondit se a Patribus Societatis aliter institutum: mori posse, terri & vinci non posse. Cum Index in utroque verba perderet, iussit suspendi ambos ex arbore altissima sublimibus vestigiis, capite in terram prono. Triduo pependunt impacti: confessusque Joachimus est, cruciatum hunc omnibus, quos plurimos expertus erat, longe graviolem extitisse. Utrique cervices postremo amputatae sunt.

Insula Xiquus pars est regni Fingensis. Patres acceptis à Ximandono, qui publicam rem ibi administrabat, mandatis ut cederent quamprimum insula, Christianos vocarunt in aedem sacram, & ultimum sacrificium, multis interruptum lacrymis suspiriisque, est celebratum. Versabatur domi nostrae jamdudum optimus senex, in domesticis officiis sponte sua occupatus, ac religionis bene peritus. Aravacam a natali pago vocabant. Huic Patres discessuri carum commendare gregem, ac praeceperunt ut infantes baptizaret, sepeliret mortuos, festos dies & jejunia populo significaret. Haec dum praestat impigre, magnam ethnicorum subit invidiam. Rati Christianos, hoc duce orbatos, nullo negotio expugnatum ini, trahunt senem in arcem ad praefectum, inclinato in vesperam die, ac tota nocte iteratis cruciatibus debilitant. Postridie vocatus ad tribunal, accipitur a praefecto comiter, affirmante, non sua voluntate, sed imperio Principis ad sciendum se impelli. Cui senex: Ego, inquit, in immortalitatis negotio, mortales nullos respicio. Imperet qui voluerit: ad me quod attinet, uni Deo pareo. Injustus est Princeps, dum probos vexat: justus ego, dum Principum regi obsequor. Huic si fidem frango, nec tu, nec imperator, neque ulla vis alia obsistet, quin me supplicio mactet sempiterno: & quamvis illius effugere vindicem manum possem, amoris tamen, quo me persecutus est, ac beneficiorum, quae in me contulit, oblivisci non possum. Responsi libertas praefectum efferavit. Jubet arripi, nudumque per totam urbem trahi, praeeunte pracone, ac perduellem vociferante. Tum stipites duos in terram desigi, quinque palmorum spatium inter se distantes: utriusque senem brachiis pedibusque alligari. Novem dies ita pependit, ore laetitiam caelestem spirante, circumstantem turbam docens, adhortans, increpans. Ne tamen atas jam gravior, & corpus à morbo recens, diuturnitatem hujus supplicii,

cii, ac maxime nocturni frigoris vim, perferre non posset, solvebatur noctu, & proximas in aedes transferebatur. Judicium patientiam superavit constantia senis, totis tribus mensibus miris modis oppugnatus, cum expugnari non posset, capite plectitur. Decisum a cervice caput, bis JESU & MARIÆ sanctissima nomina inelamavit contenta & clara voce, ita ut ab omnibus exaudiri posset. Mortem ex ipsa Deipara cognovisse dicebatur: arcanas adeuntium cogitationes norat; eventus futuros, Deo monstrante, prædicebat. Id in Christiano maxime patuit, qui desertam à se tormentorum metu sacram militiam dolens, ipsum convenerat, consolationis & remedii causa. Senex hominem bono animo esse iussit: ac, postquam obiero, inquit, elues admissum scelus, majore tua Christianique gloria. Res, uti fuerat a senè prædicta, contigit. Resipuit defertor, & candenti ferro crucem in fronte conspicuam sibi inussit, ac præclaro stigmate notatus, rediit ad iudices, orationem retexit, cruciatus vel acerbissimos depoposcit ultro, ac perculit.

Turbatis hunc in modum rebus Japonicis intempestiva mors Episcopi Japonensis P. Ludovici Cerqueira intervenit, Nangazachii XIII. Kal. Martias MDCXIV. Hunc Societati Lusitania dederat anno MDLXVI. Consecratus Episcopus in Japoniam solvit anno MDXCIV. In hanc tamen nisi anno MDXCVIII. non pervenit, coactus Macai consistere, donec religio per Taicosamam graviter concussa, paulum conquiesceret. Ecclesiæ sibi commissæ gubernaculum rexit per annos sexdecim, prudentia singulari, caritate, patientia & modestia: quæ virtutes animo illi non tantum Christianæ plebis, sed etiam infidelis populi conciliaverant. Ita quippe potestatem præsulis caritate patris condiebat, ut ne Japonum natio suspiciosa, & exteris hominibus diffidens, necdum jura Ecclesiastica satis distinguens a civilibus & politicis, dominum ac principem in antistite datum sibi crederet. Clerum Japonensem instituit, formatosque in Societatis Seminariis indigenas sacris initiavit Ordinibus. Idem libros utiles & moribus gentis accommodatos edidit. Legum Ecclesiasticarum observantissimus, minimos earum expendebat apices; ac si quid occurreret dubitationis, Summum Pontificem accuratè consulebat. Nihil vero decernebat, nisi diu multumque commendatum Deo, cum prudentibus & expertis deliberatum, plus alienæ prudentiæ tribuens, quàm eruditioni suæ; cavensque figere ac statuere, quod postea mutare ac reficere laboraret. Pristinæ vitæ severitatem ac normam, quoad licuit, retinuit: ut ab eo nequaquam deposita professio religiosa, sed aucta pastoralis officii sollicitudine videretur. Multa de necessariis sumptibus detrahebat sibi, quæ in pauperes, ac præsertim in exulantem Christi causa nobilitatem, conferret. Eum non tam trimestris abstulit morbus, quàm conceptus è religionis calamitatibus dolor, quarum in dies acerbitas ingravescebat. Interim, donec P. Didacus Valens successor illi designatus adveniret, Ecclesiæ Japonicæ clavum clerus electione canonica detulit P. Valentino Carvallio, qui Japonicæ provinciæ præerat. Cleri judicium non modo approbavit Paulus V. verum etiam sanxit uti deinceps, quoties Japonensem Ecclesiam orbari pastore suo contingeret, ejus regimen ac vicarium munus capefferet is, qui Societati nostræ tunc præesset in Japonia, ne quid è longiore successoris mora detrimenti caperetur.

Statim atque Japonici gregis curam P. Carvallius accepit, omnes intendit conatus, ut procellam averteret, quæ in commune religionis exitium undique constabat. Omissis rivis fontem ipsum mali aggressus est obstruere. Tot scelerum machinatorum Sasioium esse constabat, mortalium scelestissimum, audacem, subdolum, apud quem divina omnia & humana erant venalia; tam gratiosum imperatori, quam omnibus invisum. Quærenti Carvallio quibus maxime modis illum demitigaret, Pater Jacobus Mesquita unus ad eam rem aptissimus occurrit, diuturnus collegii Nangazachiensis moderator, virtutis ac prudentiæ famam non vulgarem consecutus, quodque rei caput erat, Sasio carus & amicus, si quis homini tamen improbo non improbus esse carus potest. Venit ad Sasioium Mesquita, rogavit enixè ut imperatorem infensum Christianis immerentibus leniret. Multa dixit quibus probaret illorum innocentiam, & fidem atque obser-

vantiam.

S. XIII.

OBITUS JAPONENSIS EPISCOPI P. DIDACUS VALENS EJUS SUCCESSOR.

vantiam erga Principem. Ad extremum petiit ut per eum sibi liceret Daifusiam alloqui. Spes enim erat aliqua ejus dedocendi, si pateret ad illum aditus: at patebat invito Sasio nullus. Ille Mesquitam ferociter abegit: aditum esse de Christianis prædicans, nec moveri Principem, nec moneri posse. Catvalli interim præcepit nostris plurima sacrificia, corporis afflictationes; preces tum publicas, tum privatas. Christiani, cognito periculo, æmulati Patrum ardorem, post eadem pietatis opera intra parietes usurpata, teneri non potuerunt, quin erumperent in publicum, pio magis quam prudente consilio. Supplicantium ritu amplius mille processerunt per urbem, pars onusti crucibus, pars flagellis armati, quibus nudos lacerabant artus: alii manicis & compedibus constricti, alii faxis plangentes diloricata pectora; nonnulli thorace spinis conferto horridi. Neque aberant pueri, instrumenta Christi cruciatuum præferentes, openque Superum implorantes gemitu lamentabili.

58.
Inconsulta
Christianorum
pietas causa
gravioris mali.

Tam lugubri spectaculo Nangazachium omne cohorrui. Sasioium gubernatorem, in aula tunc morantem, amici & magistratus per litteras trepide monent excitam à Christianis seditionem, omnia pessum ruere, nisi accurrat. Hæ litteræ in manus imperatoris nescio quo pacto delapsæ sunt. Excandescens, & arrepto pugione debacchans, se Nangazachium in cineres redacturum clamitat; Surungadonum militiæ peritum, Fuximi gubernatorem, illuc ire cum copiis imperat, & Christianos ad unum Nangazachio exterminare. Surungadonus miratus omnia Nangazachii tranquilla, cernensque Christianos in se ipsos tantummodo immites existisse, graviter Sasioi amicis succensuit, qui tam temere tragedias in nugis excitassent, & imperatori metum inanem injecissent. Sasioius iram Principis expavescens, huc intendit curam, ut nequaquam inanem hunc existisse metum probaret. Omnibus investigatis denique comperit initum fedus quoddam fuisse a Christianis pro religione tutanda; idque non exaratum atramento, sed sanguine. Hujus foederis capita quædam erant parum cautè prudenterque concepta, vituperata graviter à Patribus, & expungi nequiequam jussa; tum vero unum legebatur perquam invidiosum. In eo jurabant nunquam se passuros ut religiosi viri è Japonia pellerentur. Sasioius lætitia triumphans exemplum foederis ostendit Surungadono. Ambo detestam Christianorum conjurationem imperatori significant: armatæ cohortes in urbem plures introducuntur, & exilium Christianis omnibus, ac præcipuè religiosis, intra biduum pronuntiatur VIII. Kal. Novembr. MDCXIV. Numerabantur in Japonia ex Ordinibus Dominicano, Augustiniano, & Franciscano, viginti duo sacerdotes, & alii quinque sacerdotii expertes. Præterea septem sacerdotes Japones, & alii quinque minoribus Ordinibus initiati. E Societate vero nostra centum & septemdecim. Ex iis occultati sunt ac remansere octodecim sacerdotes, & fratres novem; itemque nonnulli ex aliis religiosis Ordinibus. Timuit Sasioius ne miserabilis carissimorum exulum aspectus magnam Nangazachienis populi partem Christianis addictam sacris commoveret, non sine gravi seditionis metu. Militum ingentem numerum è vicinis properè accivit regnis; tum præclaros exules discedere confestim Nangazachio jussit in proximum & ignobilem Facundæ portum, unde vela occultatis Macaum aut in Philippinas darent. Antequam Nangazachio Socii proficiscerentur, sacra vasa & ornamenta tutis locis abdiderunt. Pretiosæ martyrum exuvie, veluti pro reditus pignore, sunt relictæ. Illas efferi non placuit, ne cum vivis mortui discedentes, tota possessione Japoniæ cedere viderentur. Postremum sacrificium vix auditum est, ob suspiria gemitusque complorantium. Unus è nostris verba novissima facturus ad populum, lacrymis plura quam voce dixit. Sexto Kalendas Novembres ejecti Nangazachio & Facundam delati, dies ibi decem, dum parantur navigia, dum venti faventes expectantur, substituerunt, pars jacentes sub dio, pars angustis olidisque piscatorum conclusi mapalibus, in summa rerum omnium penuria, nec minori ethnicorum militum a quibus custodiebantur, immanitate.

NON licuit per Sasioium P. Didaco Mesquitæ Nangazachii remanere, quamvis oppressus gravi morbo teneretur. Sequi felicem turbam coactus est, & acceptus

pus in congestum stramine piscatoris tugurium, nec tantum remediis ut sanaretur, sed etiam cibariis ut viveret, destitutus, ad æternæ vitæ portum prius pervenit, quam alii se mari committerent. Morientem duo maxime consolata sunt. Primum, quod S. Franciscum Xaverium in deserta obeuntem insula proxime videretur imitari; alterum, quod non denegandam sibi mortis Fidei causam obitæ gloriam confideret, quippe qui non morbo, sed ærumnis, id quod testati sunt medici, confectus periret. E Lusitania, unde oriundus erat, in Indiam profectus, & adscriptus in Societatem, Japoniam petierat, in qua colenda totos triginta & octo annos collocavit. Duxerat in Europam illustres Ecclesiæ Japonicæ primitias, trium scilicet Regum oratores, qui Gregorio XIII. Pontifici Maximo deferrent obsequium. Illorum animos & sensa, fides & certus propter Japonicæ linguæ singularem notitiam interpres, explicuit. Reversus in Japoniam diu nostris præfuit Nangazachii. Difficile, at irritum, ut imperatorem alloqueretur, * ingressus iter, valetudinem jam annis gravem vehementer debilitavit. Denique exul & æger, in straminea casa, confectus incommodis, vita & exilio solutus est pridie Nonas Novembres anni MDCXIV. ætatis primo & sexagesimo.

Nihilo commodior illorum, qui remanserunt inter ethnicos, vita & valetudo fuit. Juvat hoc ex eorum litteris aliquot cognoscere. *Obscura conclusus cellula sum, inquit eorum unus. Cælum per dies sexaginta vix aspexi: malignam lucem rima vitiosi parietis verius, quam fenestra, præbet. Intolerabilem æstum augent loci angustia: in vicinum pagum identidem excurro, sed quia latere in eo facile non possum, in antrum meum me protinus recipio.* Alius in hæc verba scribit: *Ter hoc anno Grocuram petivi (primaria civitas est regni Bungensis) non sine ingenti labore ac periculo. Noctu faciebam iter, ignotâ sæpe viâ, sæpe abruptâ & præcipiti, corruens interdum non sine vulneribus & vita periculo. Æstu, frigore, fame confectus, in morbum ter quaterve incidi. In infimo & humido castro angulo, inquit alius, vix tutus sum; hospes meus nec famulis nec liberis fidit: clam submittit mihi paulum orizæ aqua cocta. Domesticis somno oppressis, pedem effere nocte intempesta, quæ salus animarum vocat. Ex anguli mei padore uvido ingentes laterum dolores contraxi, qui neque stare me neque jacere patiuntur. Animus lætitiis omnibus affluit: qua in ipsum redundantes corpus, morbum & cetera incommoda consolantur. Ex hoc veluti specimine labores virorum fortium; sed & animos laboribus majores intelligere licet.*

Non erant ærumnarum immunes & periculi quos Japonia expellebat. Multi cum Patribus exilio damnati Reges olim ac Principes, antequam committerentur periculoso mari & hibernis tempestatibus, fuere spoliati famulis suis, & commodis omnibus, quibus levare acerbitas exilii poterat. Octavo Idus Novembres anni MDCXIV. omnes in tria impositi fuere navigia. Vehabatur uno Justus Ucondonus, cum familia & nobilibus aliquot matronis. Eum comitabantur viginti tres homines Societatis, cum Hispanis aliquot sacerdotibus, & clericis Japonibus. In Philippinas iter fuit. Aliis duobus navigiis vecti è Societate sexaginta, & alumni Seminariorum quinquaginta, Macaum ac littora Sinica petierunt, secundisque ventis usi, portum attigerunt intra paucos dies. At Ucondonus, diu cum ventis & mari luctatus, navim propemodum fractam ægrè ad Philippinas applicuit. Adversa navigatione confictati è nostris quatuor mortem paulo post obierunt. Mancius Taicus Japon, in Societatem & rei familiaris adiutorum gradum admissus anno MDCVII. popularium pietatem insigniter adjuvabat pingendis piis tabulis: nam artem pingendi, parum in patria notam, callebat. Macai pecessit XIII. Kal. Febr. anni sequentis, ipse agens ætatis primum & quadragesimum. Paulus Rioinus, item Japon, traduxerat in Societate annos undequadragesima: & quamvis inter domesticos adiutores numeraretur, cum tamen litteris Japonicis non leviter tinctus esset, polleretque dicendi facultate, diu pro concione populum erudit; ac parem tolerantis incredibili constantia maximis laboribus fructum animarum collegit. Solutus est mortalis vitæ vinculis Manilæ XIII. Kal. Martias anni MDCXV. annos natus quatuor & sexaginta. In eadem urbe Philippinarum primaria, laudatissimam ætatem honestissima morte, eodem

S. XIV.
P. JACOBUS MES-
QUITA, PRO
CHRISTI FIDE
EXUL MORITUR.

* Suprà. §. XIII.

59.
Patres in exiliū
proficuntur.
Nonnulli obe-
unt ærumnis
confecti.

dem anni MDCXV. mense Februario, clauerunt Fratres Matthias Sanga, & Andreas Saitus, ambo è Japonia oriundi. Hic annos vixerat undequingenta, & in Societate vicos. Multos ad Christi Ecclesiam adduxerat, tum verbis quæ ad populum non incommodè faciebat, tum vero factis & exemplo vitæ. Matthias Sanga ætatem ad annos tres & quadraginta provexerat, quorum quinque & viginti sic transegerat in Societate, ut sacerdotibus vix ulla virtutis parte concederet. In ipsa vero navigatione portum vitæ felicis & immortalis reperit P. Antonius Franciscus Critana IX. Kal. Decembres. Patria illi Almodovaria, urbs Hispaniæ; natalis annus MDLV. fuit. In Indiam trajecerat anno MDLXXXIV. unde solvens in Japoniam, ibi variis patientiæ caritatisque gradibus aditum in cœlestem patriam sibi tandem aperuit.

60.
Iusti Ucondo-
ni adventus in
Philippinas, &
obitus.

Simul atque auditum est Manilæ Christianorum exulum adventare classem, in iisque Justum Ucondonum esse, Joannes à Silva, Philippinarum gubernator, statuit virum tantum, Fidei defensorem clarissimum, quo decebat honore accipere. Triremem igitur omnibus cibariis non ad necessitatem modo, sed ad delicias onustam præmittit. Tormentorum pro muris dispositorum festus ac terribilis fragor subeuntem salutavit: civitas in littus effusa, inter fulgentes armis cohortes, & lætos ignium militariter applaudentium strepitus, deduxit in gubernatoris aedes, qui cum magistratibus obviam processerat. Matronæ Japonenses longis, ut mos Iaponum est, pallis intectæ, recta in templum Societatis contendunt. Gubernator Ucondono prolixè detulit omnia nomine Regis Catholici, quæ non tantum ad levandam calamitatem, sed etiam ad tuendam dignitatem pertinerent. Ucondonus, gratis impensè actis, sibi gratulatus quòd in regia munificentia, & in gubernatoris humanitate reperiret quodcumque amiserat in patria, perrexit in templum Societatis. Exceptus à Patribus non minori cum veneratione quàm gaudio, post actas Superis cantico solenni grates, in vicinas collegio aedes cum familia demigravit. Ibi Christianæ humilitatis, atque adeo præsentis fortunæ memor, Hispanorum liberalitate permolestè usus est, negans ad ea se redire velle, quæ Christi causâ reliquerat. Sed sive cœli mutatio, sive collectus è tot rebus adversis, & recenti navigatione permolesta, dolor valetudinem prostrasset, febrî correptus est, & quadragesimo quàm attigerat Manilam die sublatus, Nonis Februarii MDCXV. ætatis quarto & sexagesimo. Egrotanti ac morienti adfuit P. Morejonus, qui ejus conscientiam & pietatem in Iaponia regebat. Exequias, non ut exulis & hospitis, sed ut Principis de re catholica optime meriti, civitas universa duxit. Gubernator cum regis senatoribus feretrum extulit. Laudavit mortuum funebri oratione Reçtor collegii. Nunquam illustrior materia laudis, nunquam uberior. Prædicari verè poterat in illo heroe uno, sanctus Princeps, bellator fortis æquè ac pius, severus poenitens, paternæ militia dux invictissimus. Ejus res præclare gestas, & Fidei triumphos de tribus imperatoribus Nobunanga, Taicosama, & Daifusama eo duce relatos legere erat in templo, quatuor conscriptos linguis, Latina videlicet, Hispana, Iaponica, & Sinica. Ejus familiam annuo censu attributo, & reliquos exules, gubernator ita fovit, ut eos exilii sui obliivio facile caperet. Gubernatoris liberalitatem Rex Catholicus vehementer approbavit.

P. Valentinus Carvallius, provinciæ Iaponicæ Societatis præses, & Episcopi Vicarius Generalis, quamvis in Iaponia remanere percuperet, id quod ejus muneris ratio postulare videbatur; cedere tamen coactus est. Nam & passim cognitus, & nominatim exilio damnatus erat. Itaque suum in locum subrogavit P. Hieronymum Rodericium, qui & nostros in Iaponia latentes regeret, ac Iaponensem Ecclesiam Vicarii generalis nomine, Sede vacante, gubernaret. Negotium etiam dedit P. Carolo Spinolæ, ut conscriberet prælia martyrum ac triumphos, eique Nangazachiensem gregem præcipue commendavit. Ille omnia diligentissime pervestigata, & certis ac locupletibus firmata testibus, litteris consignavit, in Europamque misit: quo ex fonte potissimum, quæ postea dicentur, hauriemus. Narrat igitur omnem suppliciorum acerbitatem in Christianos, suis orbatos

orbatos sacerdotibus, explicatam fuisse. Primus impii belli turbo detonuit in Cuquinotzum, portum celebrem regni Arimensis, & Christianis florentem. Illic infesto agmine Sasioius accurrit, & vocatis oppidi primoribus denunciavit amputandos singillatim manuum pedumque digitos, succidendos poplites, urendas candenti ferro frontes, addicenda fisco bona, uxores in servitutem abducendas. Responsum a primoribus civibus fuit, se, quod ad cetera omnia prorsus attinebat, in potestate Principis futuros: religionem ut exciperet, rogarunt: ratum sibi esse illam, quolibet exitio proposito, non mutare. Idem à populo responsum est. Interea pavidus rumor civitatem occupat, de bello inter Fideyorum Taicosamæ filium, & Daifusamam, emergente. Sasioius, tam imperatori deditus, quam infensus Christianis, satius duxit eos quamprimum exterminare, ne, si bellum ingrueret, arma in Daifusamam caperent, ac Fideyori partibus accederent. Igitur Arimense regnum, arcem Fidei & religionis, oppugnare aggreditur. Christi cultores jubentur convenire in plateam, ubi collegium Societatis olim steterat. Hæc validis repagulis erat circumseptæ. Mille foris milites strictis gladiis, arcubus intentis, surrectis hastilibus stabant velut in procinctu; intus viginti carnifices; ingens in medio suppliciorum apparatus. Ducenti convenere ad pugnam Christiani: populus innumerabilis ad spectaculum.

In aditu plateæ aderat centurio, & ut quisque processerat, seiscitabatur an Christo nuncium vellet remittere: negantem tradebat carnificibus, qui miserum corripientes evellebant ipsi capillos, quod ignominia genus foedum apud Japones & intolerabile: faciem infectis luto soleis everberabant, quod item apud illos inter opprobria teterrima numeratur. Deinde auriculas forcipibus lacerabant: mox abjectum humi calcabant, fustibusque contundebant, vitæ nihilominus patientes, ut mors esset prolixior. Hæc immanis carnificinæ horrida profusio nonnullos exterruit: ceteri quibus Fides animusque constitit, per noctem in vicinis ædibus asservati, postridie rursus in plateam producuntur, novo supplicii genere cruciandi. Nam illorum pedes inter duo tigilla octogona fuere constructi, contractique. Altera tigillorum pars extrema erat colligata, altera soluta: in hanc incumbebant carnifices toto corpore, aut saltitantes eandem perprimebant, ita ut aliquando ipsa ligna frustatim dissilirent. Martyrum ossa comminuebantur, dolore incredibili, quo victi non pauci animos desponderunt; viginti steterunt, & palmam abscisso demum capite sunt adepti. Unus Michael Acafoxus, adolescens annorum decem novem, ortus loco nobili, sed bello captus, & in servitutem abreptus, animi Christiani libertatem vimque inauditam ostendit. Versabatur in herili domo, nescio quid operis facitans, cum rapti martyres in plateam audivit. Procurrit seminudus ad repagula. Cum à militibus non reciperetur, quia non erat scriptus in cruciandorum indice, elusit incautos, & levi saltu repagula superavit. Ejectus, irrepit aliunde, seque tortoribus obrustit; qui nihil omiserunt ut ipsum consilii poeniteret. Cum ei confringerentur sic pedes ac tibiæ, Levius, inquebat irridens, premitis; validius, oro, constringite. Quo ludibrio irritatus tortor cervicem illi repente abscidit. Duas quotidie horas precando exigebat; tribus hebdomadæ diebus nihil ad panem & aquam adhibebat obsonii: corpus crebris macerabat flagellis. En quibus gradibus martyres ad palmam enituntur! Ethnici stupentes exclamabant, Quanta sunt quæ sperant Christiani bona, quæ tanti emunt, etsi nunquam ab ipsis visa; cum nos ea quæ videmus, quæ putamus in terris summa, ne minimo quidem istorum suppliciorum bene empta crederemus. Sed nihil majorem illis admirationem movit, quam constantia Bonzii, olim nequissimi, è Nagarobosciorum secta, qui diabolum colunt. Unius è nostris colloquio convictus, mores ac Numen mutaverat: utque erat natura eloquens & animosus, Patris vicês absentis egregiè obibat. Jam semel vertere solum iussus, postquam datum religionis oppugnandæ signum cognovit, Arimam ad certamen revolavit, & urbem noctu lustrans, Christianos ad rem fortiter gerendam accendit. Addidit verbis facta; laniatus, discerptusque suos carnifices patientiæ ac fortitudinis miraculo cruciavit. Quo tempore illi caput amputatum est, duo ejus liberi, procul Arima, euntem in cælum conspicati

61.
Dira Christiani
gregis vexatio
exilium Patrum
consecuta.

perhibentur. Illorum quibus Fidem supplicia extorserant, unus narravit se omni doloris sensu caruisse, cum vinculis tam arctè constringeretur, ut in carnem penetrarent; & inditis collo funibus panè strangularetur. Verum injectam sibi tunc a dæmone cogitationem de filio, quem unicè diligebat: eam cum remissis abjiceret, subito viribus & animo destitutum concidisse, ac Fidem ejurasse. Resipuit postea, & primam exitii sui labem magno cum dolore declaravit: ac tristi exemplo docuit, quàm sedulo vias omnes hostibus nostræ salutis obstruere debeamus, eorumque primas petitiones, ac blandimenta vitiorum, vel effugere declinando, vel dimicando refringere; simulque ostendit, nihil esse fortius homine, si Deo junctus; nihil debilius, si sejunctus a Deo sit.

Safoius terribis Arimensium suppliciiis incolas Cuquinotzi arbitratus, eandem in illos expromere crudelitatem festinavit. Jam enim undique instantis bellifama crebrescebat. Irruenti cum armatis cohortibus occurrunt septuaginta Christiani cum funibus, quos illi offerebant ut constringerentur. Hoc aspectu furens expediri omnia cruciatuum instrumenta statim imperat: dein singulos a duobus tribusve tortoribus arripi, ad terram affligi, pugnis, calcibus, fustibusque tundi, sic, ut ex oculis cruor, è naribus, ex auribus, atque omnibus fere membris erumperet. Denique spirantia illa cadavera, tabo & sanie fluentia, tolli jubet in patibuli quoddam genus. Duobus infixis humi stipitibus, tertius transversus erat impositus. Nudi corporis pedes & manus simul a tergo alligabantur valido fune, qui supra hunc tertium stipitem ductus sublime corpus attollebat, capite versus terram demisso, manibus pedibusque retro subreætis. Cum suspensum è transverso illo stipite pendeat corpus, tunc molare saxum imponebatur tergo, quò vacuum inter manus pedesque colligatos spatium patebat: quo pondere spina dorfi & ossium compages reliquorum, crudelissime fatiscebat ac rumpebatur. Plerique sic ruptis ilibus extincti. Quos vita nondum defecerat, iis pedes ac tibiarum rignis insertæ confringebantur: digiti pedum & manuum singillatim dissecabantur, succidebantur poplitès. Sic mutilati ligneos quosdam gradus de industria confectos conscendere cogebantur, cumque altero quoque ruerent passu, excitabantur fustibus impactis, rursusque corruentes plurimi exspirabant: octodecim capite truncato finem tormenti crudelis invenerunt.

Paucis relicta vita, vel potius mors parumper dilata est, ad terrorem ceterorum. Ea fors Petri Faximoti fuit, cujus vigilantia commissa fuerat à Christianis nosocomii cura. In certaminis campum ingressus, oculis aliquandiu in cœlum defixis constitit; subitoque exclamavit intueri se pulcherrimam Angelorum aciem, cœlesti luce radiantem. In hac voce arreptus, & candenti ferrea cruce notatus in fronte, suspensus, quo diximus modo; præcis pedum ac manuum articulis, sectis poplitibus, ne colorem quidem mutavit. Domum reportatus, uxorem amicosque obsecravit ut gratias immortales Numini agerent, cui referebat acceptum, quòd hæc non modo sine mœre ullo, sed summa etiam cum voluptate, pateretur. Sic paucas, quibus fuit superstes, horas appellandis JESU & MARIÆ dulcissimis nominibus consumpsit. Huic simillimus Paulus Ryoieyus, templi Deiparæ custos erat: quod ubi dirutum & pullos Patres vidit, scholam aperuit erudiendæ juventuti. Carnifices adierat ostiatim, orans ne sibi parcerent. Christianus sum, inquiebat; annos explevi septuaginta, necdum memini me quidquam pro Deo meo passum esse. Id si per vos consequar, magno me beneficio affectum arbitrabor. Quis oratos ita tortores post hominum memoriam audivit? Prolixè, quod rogabantur, promiserunt; proluxius præstiterunt. Toto corpore laceratus, vixque a suis, cum domum relatus fuit, agnoscendus, gestiens tamen præ lætitia, vivere ac pati desit. Senes duo, annis quatuor Petro isto majores, non levioribus defuncti suppliciiis, vitam & patientiam ad aliquot menses produxerunt. Reliquorum martyrum dicta factaque libenter, si nostra fueret brevitatis, recenseremus, quæ fufius prosequuntur historiæ Japonicæ scriptores*; & quæ admirabilem divinæ virtutis potentiam liquido commonstrant. Ne gravior in ceteris Ecclesiæ Japonicæ partibus ederetur strages, indictum Fideyoro ab imperatore bellum impedivit: quod quidem gestum hactenus mutuis velut indi-

Trigaltius de Christianis Japonicis triumphis, Cardimus, &c.

diis, demum erupit in hunc annum MDCXV. quo magna rerum in Japonia facta est inclinatio.

DAIFUSAMÆ conatus omnes eò collineabant, ut imperium Xoguno filio suo pacatè possidendum relinqueret, sublato ejus herede legitimo ac domino Fideyoro, Taicosamæ filio, cui datus à moriente patre tutor & custos fuerat*. Ac primò quidem famæ consulens, Fideyorum clam de medio tollere tentavit. Sed Principis adolescentis mater, audax mulier & artium aulicarum gnara, fractas variis locis a perfido tutore detexit insidias, consilia & molitiones elusit. Daifusama ultimam hanc, ut voti compos fieret, machinam adhibuit. Auctor pupillo suo fuerat ædificandi magnificentissimi templi, ut in istos sumptus abiret ejus pecunia. Fastigium impositum templo erat. Hortatus est ut ejusdem dedicationem perageret. Dies dedicationi dictus fuerat anno superiori exeunte. Meacum convenerant Bonzii ad tria millia; magna pars futuri pompæ religiosa. Eodem ex urbe Ozaca properabat Fideyorus, cum deprehensus est Daifusama colligere milites, quibus Ozacæ arcem munitissimam absente Fideyoro invaderet. Id moliri tam occultè non potuerat, quin ejus consilium perlucere. Omisso dolosæ dedicationis festo, Fideyorus Ozacam trepide repetiit. Daifusama irritam cecidisse stropham dolens, decrevit aperto Marte Principem petere, nescio quid injuriæ ab eo illatum sibi causatus. Adest cum ducentis militum millibus, & Ozacam obsidione cingit. Repulsus à mœnibus semel iterumque, magna cum clade, notas ad artes se convertit. Occulta cum civibus agit consilia. Detecti captique proditores supplicio afficiuntur. Crebræ fiebant è portis eruptiones, in iisque semper vapulabat, ejus opera disjiciebantur, milites adverso percussis Marte signa deserebant. Tot fractus damnis pacem, ut paululum respiraret, Fideyoro proponit: certis conditionibus utrinque componitur. Eas, cum primùm fuit commodum, reparato scilicet exercitu, abruptit, & Ozacam rursus obsidet. Interea copias majores Fideyorus contraxerat. Prioris obsidionis successus, & æquitas causæ, partes ejus mirum in modum auxerant. Primùm omnium Sacayum, urbem amplissimam, ne prodesset hosti, redegit in cineres; deinde, quantum oppidorum, arcium & castellorum, intra passuum triginta millia circa Ozacam visebatur, incendit. Eversa memorantur amplius mille templa falsis numinibus dicata, totidemque cœnobîa Bonziorum, Deo sic illorum impietatem vindicante, quorum opera tot Christianorum ædes sacræ, tot sacella fuerant excisa.

Cum Fideyori exercitum Ozacæ mœnia non caperent, castra pro muris collocavit, in Daifusamæ conspectu, cum quo statim susceptæ dimicationes quotidianæ: majoris ac decretoriæ pugna præludia. Demum totis agminibus concursus est. Nunquam atrocius dimicatum. Dubiam in mutua & immani strage victoriam ad Fideyorum fortuna vertit, cujus primum agmen in Daifusamæ cohortes investum ferociter, eas proturbavit, & in fugam compulit. Ille, subditis equo calcaribus, primam in aciem procurrat furenti similis; retrahit fugientes, disjectos restituit, per totum denique exercitum oculis, manibus, clamore volitat. Ubique pavor, consternatio, fuga. Itaque, velut perditis rebus, mortem occupare, ne veniret in victoris potestatem, cogitavit. Pugnam ex arce sua spectabat Fideyorus. Accurrit ab exercitu lætus centurio; monet hostes in fugam effusos; jam esse tempus proeundi Ozaca, & certam in ipso pugna campo victoriam excipiendi. Juvenis ardens cupiditate gloriæ prodit cum lectissima suorum, qui servabant arcem, manu. Vix pedem extulerat urbe, cum occulti proditores, quos illic habebat Daifusama in omnem eventum paratos, arcem vacuum occupant, & ignem late injiciunt. Fideyorus, igne conspecto, celeriter in urbem regreditur, ut relictam in arce matrem servet; cum eo magna pars copiarum excedit acie; reliqui terrentur & consistunt. Redit animus Daifusamæ. Pro-rumpit in turbatos, cædit, fugat, proterit. Hoste dissipato, incensa civitate, solus rerum potitus est, & imperator salutatus.

Erant Ozacæ sacerdotes duo Societatis Balthasar Torres, & Joannes Baptista Porrus, illuc à Christianis, quorum ingens in urbe numerus, invitati. Degebat Torres apud Joannem Acafcicamonum, quando civitatem hostes & flam-

§. XV.
VICTORIA ET
MORS DAIFUSA-
MÆ.

* Suprà n. 27.

62.

Duo Societatis
homines divi-
nitus servati:
duo ærumnis
consumpti.

ma impleverunt. Omnes continuo diffugere, quo quemque metus aut casus ferebat. Nobilium virginum, quæ domi erant, fuga miserabilis & periculum, quæ flammis vitare non poterant, quin inciderent in milites flammis omnibus peiores. Earum una petulantiam impuri calonis fregit oblato capite, ut vitam potius perderet, quam pudicitiam; & utramque servavit. Altera, correpto acinace fugavit alium invadentem, ac muliebriter timentem ipsa viriliter conterrita. Torres a furentium globo deprehensus, qui ad cædem, ad incendium, ad furta & flagitia undique ruebant, Japonem catechistam, comitem suum, in frustra conciliant ante oculos, ingemuit: ipse agnitus pro Europæo, quod oris color & sermo indicabat, evasit incolumis, at nudus, ne relicta quidem subucula. Elapsus in tugurium, & vili tegeticula contactus, erepsit in pomerium, inter cadentium stragem & rudera testorum, inter gladios jugulo, hastas pectori, acinaces capiti saepe intentatos: quippe illum ethnici agnoverant, & palam sacerdotem Societatis necandum conclamantes audiebat. Deus famulum suum servavit ad illustriorem necem, ut post annorum abhinc undecim ærumnas, vivus in ardente rogo Nangazachii deflagraret. Dedit hoc etiam fortasse Numinis benignitas ejus caritati. Cum enim in lamentabili civitatis ruina ethnici quidam hinc ab igne, inde ab hoste obsessi, vitamque mortalem desperantes, immortalem ab eo cum baptisinate petissent, ipse omissa fuga, & propriæ salutis immemor, edoctos pro tempore, reserpsit vitali unda, & ab ignibus hostibusque sempiternis eripuit. Inde in patentes campos erumpens, & stratam cadaveribus planitiem emensus (centum enim hominum millia eo prælio perierant) in tutum denique se recepit. Parum absuit quin P. Joannes Bapt. Porrus similiter periret. Libratum in ejus ceput à milite furioso acinacem alter paulo humanior objecta manu tenuit. Urbe vix egressus delituit in palude arundinibus obsita, quò Christiani complures se conjecerant, & eorum confessiones excepit, vulneratis ac morientibus opem tulit. Alii duo extra hujus pugnae aleam positi, sed relicti sponte in Japonia, dum ceteri proficiscebantur in exilium, laboribus & miseriis per idem tempus consumpti sunt. Unus, rei domesticæ adjutor, Mancius Misoguccius Japon, obiit mense Februario, quo die, vel loco, non constat. Cum esset vernaculi sermonis apprimè gnarus, & innata valeret facundia, plurimos è suis popularibus non solum Evangelii præceptis instituebat, sed etiam inflammabat studio perfectæ virtutis, quam sedulo per annos tredecim in Societate coluit. Ætatis annum attingerat tertium & quadragesimum. Alter, Mancius Firabayascius, itidem Japon, & sacerdos, annis viginti, quos in Societate vixit, nulli pepererat labori, ut rem Christianam in patria laborantem fulciret, anno præsertim MDCXV, cuius mense Martio decessit Nangazachii. Mortem in summa rerum omnium inopia, & morbi gravissimi doloribus adventantem prospiciens, & cœlesti gaudio delibutus, exclamare identidem audiebatur: *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat* *. Quid egerint alii quibus esse vivis in reliqua Japonia tantisper & abditis licuit; quibus objecti calamitatibus & periculis fuerint, nemo satis explicet. Dicit vere potest eos in tot illustribus victimis cruciatis fuisse, & cum iisdem, id quod Apostolus de se ipso prædicat, quotidie quodammodo mortuos; quarum scilicet vitam habebant sua cariorem, & quarum incertum ærumnasque sensibus intimis dolebant. Quandiu vitam multis utilem, sibi molestam, & morte qualibet acerbior, servare coacti sunt, latuere, hic in spelunca, ille in montis prærupti jugo: alius in subterraneo tugurii cavo, alius in cymbula; unde noctu prorepebant, id caventes ne cui perniciem crearent detecti, omnibus salutem afferrent occulti. Cum præcisa spes latendi, & publicæ rei juvandæ fuit, tunc moriendo fortiter confirmarunt quod vivendo latendoque docuerant.

Elatum lætitiæ tantæ, tam inexpectatæ, victoriæ Daifusamam haud minor attingebat metus de Fideyoro, ne viveret, ne bellum redintegraret, ne fractas ejus partes tot reguli superstitis ac tetrarchæ restituerent: ne demum Christiani victis juncti ad arma concurrerent. Hæc metuens, opportunas bello arces ad quadringentas muris & munimentis exui; edicta prioribus multo atrociora in Christi

* Job. c. 6.

si cultores promulgari, Fideyorum perquiri terra marique jussit. Quid factum illo fuerit, an dimicans in acie, an profugus in desertis nemoribus aut jugis perierit, nunquam resciri potuit. Ejus affines & amici per summam crudelitatem proscripti cæsiq; Japoniam funeribus exhauferunt. Restabat illius unica proles notha, puer septem octoye natus annos. Hunc Daifusama per Meaci vicos circumvectum trucidavit. Moriens puer illi perfidiam & immanitatem exprobrasse fertur. Nec inulta diu tyranni scelera Deus reliquit. Victoriam adeptus Quintili mense anni MDCXV. vitam amisit Kalendis Juniis sequentis anni MDCXVI. monito prius filio ut quam cœperat excindere Christianam legem, penitus aboleret: deinde ut mallet a suis diligi quàm timeri. Quid paternis monitis filius profecerit sexta pars Historiæ Societatis exponet.



LIBER